

SECUNDA DIŒCESANA

SYNODUS

SANCTÆ TRIVENTINÆ ECCLESIÆ
Ab Illustriss. & Reverendiss. in Christo
Patre, & Domino

ALPHONSO MARICONDA

Ex Congregatione Cassinensi Ordinis Sancti Benedicti, Patritio Neapolitano, ejusdem Ecclesiæ Episcopo, S. Sedi immediatè Subjecto, SS. D. N. Benedicto XIII. in Pontificio Solio Episcopo Assistente, ejusque Prælato Domestico, ac Sacræ, Cæsareæ, & Catholicæ Majestatis a latere Consiliario

Celebrata die Dominico Pentecostes, & die sequenti, nempe primo, & secunda mensis Junii Anni CIↃIↃCCXXVII.





BENEVENTI,
Ex Archiepiscopali Typographia, Anno 1727.

SUPERIORUM LICENTIA.

Donus Clar:mi D. Josephi-Enronii de Alena.



INDICTIONIS

Secundæ Diœcesanæ Synodi

E D I C T U M.

ALPHONSUS MARICONDA

Ex Congregatione Cassinensi Ordinis S.Benedicti, Patritius Neapolitanus, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Triventinus, eidem S. Sedi immediatè Subjectus, SS.D.N.Benedicto XIII.in Pontificio Solio Episcopus Assistens, ejusque Prælatus Domesticus, Sacræ, Cæsareæ, & Catholicæ Majestatis a latere Consiliarius.

Dilectissimis in Christo Filiis, Capitulo, & Clero Civitatis, & Diœcesis salutem in Domino sempiternam.



UM primùm ad Triventinæ Ecclesiæ gubernacula Nos licèt immeritos præpotentis Dei providentia admovit, eò statim omnes animi nervos intendimus, ut ad sacrosancti Concilii Tridentini præscriptum, per saluberrimã Synodorum celebrationẽ dilectissimi Gregis nostri mores, suapte natura in deteriora ruentes, quantum in Nobis situm erat, repararemus. Et quamvis acrioribus passim

distenti curis hoc animi nostri propositum in alia opportuniora tempora conjicere coacti fuerimus, Deo tamen aliquando nostris desideriis aspirante, nutantem jam Ecclesiasticorum pietatem, sex ab hinc annis conventu Synodali primùm habito, sategimus restituere. Verùm cùm hominum ingenia sint ad vitia proniora, & nisi legum severitate coerceantur, in pessimas corruptelas erumpere quotidie videantur, nostrę Pastorali solicitudini convenire putavimus, alteram Synodi celebrationem non diutiùs differre. Quapropter, quod felix faustumque sit universę huic nostrę Dioecesi, alteram nostram Dioecesanam Synodum, ad Ecclesiasticam disciplinam severiùs excolendam, pietatemque fovendam, Episcopali qua fungimur auctoritate, solemni die Pentecostes, quę erit Kalendis Junii currentis anni 1727. in Ecclesia nostra Triventina habendam & celebrandam esse omnibus indicimus.

Omnes igitur, & singulos dilectos Nobis in Christo Capitulum, & Canonicos nostrę Ecclesię Triventinę, & ejusdem Mensionarios, necnon Parochialium, & quarumvis Ecclesiarum, ac locorum nostrę Civitatis, & Dioecesis Archipresbyteros, Rectores, Parochos, Œconomos, Abbates Infulatos, cęterosq; Beneficiarios quoscumque, & alios, qui de jure, aut consuetudine, vel privilegio hujusmodi nostrę Synodo interesse debent, vel possunt, requirimus, monemus, hortamur, eisque etiam, & eorum singulis in virtute sanctę obedientię, ac sub Excommunicatione, aliisque Censuris, & poenis a jure, vel consuetudine in Synodis Dioecesanis ferri, & infligi debitis & consuetis, indicimus, mandamus, & pręcipimus, ut legitimè & canonicè non impediti, per semetipsos, vel, probato impedimen-

to

to, per speciales Procuratores huic sanctæ Synodo celebrandæ designata die in dictam nostram Ecclesiam convenire, adesse, & interesse debeant cum decenti habitu Clericali, & Superpelliceis mūdis,nec ab ea discedant, nisi peractis Sessionibus, & tota dimissa Synodo, ac dissoluta.

Volumus autem,ut hæc Synodi Indictio affixa valvis nostræ Cathedralis, necnon Parochialium Dioecesis, quod exequi Parochis mandamus, omnes afficiat, ac si fuisset omnibus intimata. Datum Triventi ex nostro Episcopali Palatio die vigesima tertia mensis Martii, 1727.

Alphonsus Episcopus Triventinus.

J. C. Canonicus Bolognese Synodi Secretarius.

Affixa fuit eadem die 23. mensis Martii.

ORATIO

Habita in primæ Sessionis initio ab A.R.D. JOHANNE SPENA Rectore in Seminario.


UÆ singula eloquentissimis quandoque Oratoribus ad dicendum accedentibus plurimum timoris, & difficultatis afferre consueverunt, ea mihi hodierna die dicere aggredienti objiciuntur universa, & audentem animum penitus deterrent. Sive enim lectissimorum auditorum dignitate obmutuisse aliquando exercitatissimos Oratores accepimus, in florentissima præclarissimorum Patrum corona disputandum est, qui, ut collatis consiliis Domus Dei decorem, morum integritatem, Ecclesiastici Ordinis disciplinam sensim collabentem restituant, huc inflammato studio convolarunt. Sive orationis materia, dicendique conditio afferre perturbationis aliquid potest, ita dicimus, ut veterum monumentorum repetita memoria, in medium proferendum sit quot, & quanta ex Synodorum celebratione in universum genus hominum emanare posſint emolumenta. Verùm his me rerum difficultatibus irretitum, & maximopere verentem, ne ipso consessu, conspectuque tantorum virorum perterrefactus, in ipso orationis ingressu subsisterem, recreat, & reficit singularis quædam eorundem voluntas, qui mei ingenui tenuitatem, tantæ expectationi omnino imparem sua hu-

humanitate non dubitant ſublevare. Niſi enim, Illuſtriſsime Præſul, ſingulari tua fretus eſſem humanitate, niſi veſtra quoque, Patres Ampliſsimi, ſpectata ſiſus eſſem benevolentia, nunquam hujus auctoritatem loci contingere auſus eſſem. Quapropter me pro viribus de Conciliorum utilitate diſputantem, & quantum univerſæ huic Diœceſi hæc Synodus afferat emolumenti, ſi rite & ſancte celebretur, dicere aggredientem, exigui temporis attentione confirmate.

Cogitanti mihi ſæpenumero, quid eſſet, quod Chriſti fidelium mores, in deteriora ſemper ruentes, poſſet ad Apoſtolicæ diſciplinæ præſcriptum revocare, tandem viſum eſt, nihil eſſe efficacius, quàm ſi Eccleſiæ Paſtores in unum coeuntes, collatis inter ſe conſiliis, quæ ſint profutura, quæve nocitura fidelibus, diſcernant, quæ ſint tenenda, quæve fugienda, conſpiranti ſententia decernant. Quis enim veſtrùm ignorat, Patres Ampliſſimi, jam inde ab ipſis naſcentis Eccleſiæ incunabulis hoc in more ſemper poſitum fuiſſe, ut nihil unquam magni momenti, niſi in Conciliis, decerneretur? Teſtes ſunt ipſi Apoſtoli a Chriſto ſoſpitatore noſtro divinitus edocti, qui, ut lites de Cæremoniis legalibus reſecarent, nihil opportunius duxerunt, quàm ut convenientes in unum, quid potiſſimùm Chriſtianę plebi expediret, in medium conſulerent. Teſtes ſunt ſanctiſſimi Eccleſiæ Patres, qui per ſecula omnia ad Religionem incolumem ſervandam, ad hæreſes expugnandas, ad ſchiſmata componenda, ad morum corruptelas legum ſeveritate coercendas, nihil ünquam, niſi in Conciliis, decreverunt. Et profectò, quando impium Macedonii dogma, Spiritum ſanctum Deum eſſe

ne-

negantis fuit penitus profligatum, nisi cùm Damaso Pontifice Constantinopoli universale Concilium fuit indictũ? Quis unquam Nestorianam, quis Arianam, quis Eutychii, quis Dioscori impietatem impune triumphantem e curru præcipitem egisset; nisi Ephesinum, nisi Nicænum, nisi Chalcedonese Concilium anathemate percussisset? Quis Pelagianos perfregit; quis temeritatis armis spoliavit Manichęos, nisi Conciliorum auctoritas? Temporis angustiis interclusus, Patres Amplissimi, prætereo quamplurima Concilia, quę difficillimis Christianæ reipublicæ temporibus, ad discordias componendas, ad vitiorum monstra confodienda, ad hęreses profligandas, fuerunt singulari quadã divini Numinis providẽtia coacta. Prætereo Arausicanum: silentio obvolvo Antiochenum, Gangrense, Sardicense, Hierosolymitanum, Carthaginiense: prætermitto Lateranense, Lugdunense, Viennense, & alia quamplurima, quæ, quantopere universo Christiano orbi profuerint, nullum unquam ingenii flumen, nulla dicendi vis posset pro dignitate recẽsere. Sed ne nimis antiqua commemorem, quid efficacius, ad defatigatas, & propè collabentes Ecclesiæ vires reparandas, Concilio Tridentino potuit unquam excogitari?

Ponite, quęso, ob oculos, Lectissimi Patres, luctuosissimum illud Ecclesiæ tempus, quo quamplurimi Nerones ex inferorum faucibus erumpentes, in Romanam Ecclesiam Christi sponsam, fidelium matrem impetum facientes, tum veteres cicatrices recentibus erroribus rumpebant, tum novas insanias, & opinionum monstra effundentes, eam confodere, & prosternere audacissimè moliebantur. Quot enim clades Lutherus, quot Calvinus, quot Zuinglius cervicibus Ecclesiæ inflixit?

Hinc

Hinc Calvinianorum caterva premebat: illinc Lutheranorum greges instabant: nationes florentissimæ, quæ pro Romana fide olim acerrimè decertarunt, ab eadem turpissimè desciscentes, tanto animi ardore in Catholicos bella susceperunt, tantas brevi tempore strages ediderunt, ut omnibus interfectis, nemo ne ad deplorandum quidem Romani Pontificis nomen, atque ad lamentandam tanti imperii calamitatem relinqui videretur.

Verùm sanctissimi Ecclesiæ Patres ex universo Christiano orbe, veluti conspiratione facta, vix Tridentum sese receperunt; cùm Lutheranos per universum terrarum orbem impunè grassantes perfregerunt: de spe, conatuque dejecerunt Calvinianos: & perditissimos Romani nominis hostes, qui miserandas in Ecclesia tragœdias excitarunt, anathematum fulmine percusserunt. Hæc est illa Tridentina Synodus, quæ Ecclesiasticorum mores temere diffluentes saluberrimis legibus coercuit: hæc Principum discordias undique conflagrantes composuit: hæc disciplinam in familiis Deo dicatis fœdè collapsam, hæc præclaram illam veteris Ecclesiæ faciem penitus deformatam restituit: hæc denique quod in universo terrarum orbe felicissimè confecit, faciendum quoque jussit singulis Ecclesiarum Pastoribus, ut quisque sua ex Diœcesi coacto Concilio, serpentes in dies morum corruptelas coerceret, & opportunis latis legibus, omnia ad Christianæ pietatis præscripta revocarentur. Quare cùm ejus decreto vos huc confluxeritis: agite per vestram fidem, Preclarissimi Patres, ut omnia scelerum mõstra, omnia vitiorum portenta, si quæ in subditorum animos irrepserint, penitus exterminentur. Omnes malo-

rum labes delete, eorundem fibras, & radices convellite: contundite tartareæ hydræ capita, & ex ipsis inferorum faucibus prædas extorquete. O felicissimos hujus Diœcesis populos; si vestris animis harum legum haurietis majestatem, quæ hodierna die ferentur! O Kalendæ Junii, quàm faustam, & felicem nobis, posterisque nostris vestri memoriam relinquetis!

Agedum, Præsul Amplissime, quem huic Ecclesiæ Deus diutissimè & felicissimè præesse velit, urge constanter quod suscepisti negotium: omnes cogitationum, omnes diligentiæ tuæ exere vires, ut, itinere sceleribus præcluso, Christianæ pietatis ardor in omnium animis vehementiùs effervescat. Memento te nostrum communem esse Parentem, & Pastorem, nostrùm omnium salutem tibi esse commissam, & concreditam. Magnam in spem excitati sumus, omnia a te feliciùs instaurari, quæ pravis hominum moribus perculsa jacent, & prostrata. Novimus ingenii tui indolem, a qua nihil humile, nihil obscurum, nihil vulgare, ampla omnia, præclara inusitati exempli expectantur. Novimus te plurimum laboris, plurimum vigiliarum, plurimum auctoritatis contulisse ad tuam Diœcesim feliciter gubernandam, bonisque moribus comulandam. Jam videor videre per te, per hosce Amplissimos Patres, Ecclesiastici Ordinis auctoritatem restitui, restitutam confirmari, confirmatam, ne unquam dissolvi queat, severis legibus vinciri.

Agite igitur optimis ominibus generosæ animæ; agite divinæ gloriæ studio accensa pectora, quæ in hunc Cætum humanę salutis ardor adduxit. Consulite quàm studiosissimè communi bono. Proponite vobis ante oculos communem nostrùm omnium Parentem, Ecclecle-

clesiam, vestram fidem implorantem, quid a vobis statuatur summa cum cura & solicitudine expectantem. Illa vos Christo genuit, illa educavit, illa ad altos honoris gradus provexit. Illa eadem pravarum opinionum dilacerata monstris, atrocibus dilaniata sceleribus, tendit vobis supplices manus, obtestaturque, ut aliarum omnium rerum obliti, de sua tantùm tranquillitate,qua vestra quoque continetur, cogitetis.Deus igitur omnium bonorum auctor talem vobis omnibus mentem atque animum inspiret, ut certo maturoque judicio ea tandem hac Synodo statuatis, quæ nobis eam vitæ sanctimoniam possint ingerere, ad quam Illustrissimus noster Præsul non suis tantùm Decretis, sed castigatæ etiam vitæ splendore sæpissimè inflammavit.



DECRETUM

De Synodi Inchoatione.

In Nomine Sanctissimæ, ac Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritussancti. Amen.

ALPHONSUS MARICONDA

Ex Congregatione Cassinensi Ordinis Sancti Benedicti, Patritius Neapolitanus, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Triventinus, eidem S. Sedi immediatè Subjectus, SS. D. N. Benedicto XIII. in Pontificio Solio Episcopus Assistens, ejusque Prælatus Domesticus, Sacræ, Cæsareæ, & Catholicæ Majestatis a latere Consiliarius.




MEditantibus sæpe sæpius Nobis quid esset, quod diffluentes Ecclesiasticorum mores posset potissimùm coercere, populumque in scyllæo vitiorum freto temere fluitantem ad salutis portum revocare, tandem visum est nihil esse efficacius, quàm si in legibus ferendis in alienas jurisdictiones minimè irrumpatur. Cùm enim universus Christianus orbis duplici jurisdictione, Pontificia nempe, & Regia gubernetur, quemadmodum turbulentissime sæpe excitantur in Ecclesia tempestates, si eas conturbari

ri contingat; sic omnia quietis & tranquillitatis plenissima videntur, si suis quæque contenta limitibus, alienas possessiones minimè invadat. Quam rem cùm Nos & veterum historiarum monumentis, & experientia satis compertam habuerimus, eò potissimùm mentis aciem direximus, ut sicut nostram jurisdictionem in minimis quoque rebus acerrimè semper propugnavimus, sic Regiam ne in minimis quidem labefactari obnixè operam dedimus: cùm potissimùm illa Salvatoris nostri Jesu Christi verba nobis penitùs insederint: Quę sunt Dei, Deo: & quę Cæsaris, Cæsari reddenda esse. Quamobrem laicalium Universitatum quieti & indemnitati consulentes, a frequentioribus Clericorum Ordinationibus, & multis, quæ populi vires enervare solent, prorsus abstinuimus: quod peropportunè nostræ Ecclesiæ cecidisse omnibus compertum est. Cùm enim Regii Ministri singulari quadam qua pollent prudentia, & pietate penitus perspexissent, Nos nihil aliud in legibus conari, quàm ut vitiorum fibræ & radices e populo evellantur, ac virtutum semina inserantur, non solùm nullo unquam Nobis impedimento fuerunt, sed animi nostri propositum studiosissimè adjuverunt. Quapropter ut idem, quod jam inde ab initio suscepimus, teramus iter, in altera hac nostra Diœcesana Synodo nihil tam studiosè curavimus, quàm ut nostra in legibus ferendis jurisdictio ne a longe quidem Regiam, cæterorumque laicalium Dominorum tentasse videatur. Sic enim fiet, ne qua prorsus in difficultate, ne quo unquam in scopulo nostra in Ecclesiastica disciplina asserenda hæreat industria, & in eum, quò jamdudum spectat animus, portum, secundo cursu, Regis nostri benignitatis aura prosequente, fa-

cilè pervehemur. Quapropter Secundam Diœcesanam Synodum, quam hodie, & die sequenti celebrandam die 23. mensis Martii indiximus, hac ipsa die 1. Junii 1727. ad Omnipotentis Dei, Deique Matris Virginis Mariæ, Sanctorum Martyrum Nazarii, Celsi, & Victoris, hujus Civitatis & Diœcesis Patronorum honorem, laudem, & gloriam apertam esse volumus, & publicamus: atq; pro ordinaria auctoritate nostra, ac Pastorali in Gregem nostrum dilectissimum vigilantia, & caritate, hæc quæ sequuntur, in ipsa Synodo legitimè congregata maturè diligenterque discussa & perpensa perpetuò servanda statuimus, decernimus, & publicamus: Deum & Dominum nostrum Jesum Christum, normam & coronam Pastorum humiliter deprecantes, ut quæ ad divini cultus augmentum, Ecclesiarum nitorem ac venerationem, ad laudabilem Cleri nostri disciplinam, & fidelium omnium, quos paterna cura nostra complectitur, salutem, & morum reformationem stabilienda cognovimus, ab omnibus, & singulis, ut servanda præcipimus, inviolabiliter ipsius gratia adjuvante serventur.

Reliqua Decreta, nempe de modo vivendi in Synodo, de Ministris Synodalibus, de præjudicio non afferendo, de non discedendo, de Oratione publica, de Fidei professione, & de cæteris hujusmodi, habentur in Actis, quæ in Episcopali Cancellaria servantur.



TIT.

TIT. I.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

CAP. I.

Fidei Profeſſio qualiter, & a quibus emittenda. Profeſſionis formula datur in Appendice.

FIdem Catholicam, qua ſingulari quadam divini Numinis providentia in ſacro Baptiſmali lavacro, originis ſordibus expiati, imbuti ſumus, quemadmodum teterrimus Chriſtiani nominis hoſtis nihil omnino prætermittit, ut e Chriſti fidelium animis vel prorſus evellat, vel aliquo pacto concutiat, ſic ad eam incolumem ſervandam a quibuſcumque errorum maculis, omnes cogitationes, omnia ſtudia, quantum in Nobis ſitum erit, collocare debemus. Cùm autem, teſte Apoſtolo, non ſolùm corde credatur ad juſtitiam, ſed etiam ore confeſſio fiat ad ſalutem, inhærentes ſacroſancto Tridentino Concilio, & Conſtitutioni felicis recordationis Pii IV. quæ incipit: *Injunctum Nobis*, omnes infraſcriptos ad Fidei profeſſionem emittendam ſecũdùm conceptam formulam in Appendice dandam teneri decernimus.

Tenentur igitur profeſſionem Fidei emittere in Synodo Diœceſana omnes, qui de jure, aut conſuetudine ad eam convenire adſtringuntur, cui juri in hac Synodo jam eſt ſatisfactum.

Item novus Vicarius Generalis, Cancellarius, cæterique omnes Episcopalis Curiæ Ministri. Dignitatem, Personatum, aut Canonicatum tam in Cathedrali Ecclesia, quàm in Collegiata obtinentes. Provisi de Beneficiis Curatis, aut quibuscumque tam residentialibus, quàm non, infra duos menses, sub pœnis a jure statutis in manibus nostris, aut nostri Generalis Vicarii, sicut & Canonici in Capitulo per se, non verò per Procuratores, quamvis in consecutione alterius Canonicatus, aut Beneficii illam emiserint.

Novi Concionatores, etiam si Regulares sint. Sacerdotes omnes cùm primùm ad fidelium Confessiones excipiendas fuerint approbati, etiam si sint Monialium. Omnes cujuscumque liberalis artis, aut facultatis professores, sicuti & Grammaticam publicè, aut privatè legentes, priusquam id munus obiverint. Ad quam etiam emittendam, Medicinam, vel Chyrurgiam exercentes teneri postremò sancimus, nisi illam in aliqua publica Universitate, tempore, quo Doctoratus laurea fuerint insigniti, emiserint.

C A P. II.

Constitutionis Unigenitus *a s. m. Clemente XI. emanatæ observantia inculcatur.* *

SAnctissimam Constitutionem a Beatissimo Pontifice Clemente XI. recolendæ memoriæ, incipientem: *Unigenitus Dei filius*, sub anno 1713. contra propositiones Quesnellianas, ejusque libros emanatam sicuti obsequentissimus sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ filius, etsi in minoribus tunc temporis essemus, ea, qua par

* Hoc etiam habemus in Concilio Romano erat sub Benedicto XIII. an: 1725. Tit: 2. de Summa Trinitate et Fide Catholica. = vide etiam Synodum Cassinensem Epi Tria an: 1728. P. 2. cap: 5. nu: 4 =

erat obedientia, & veneratione, uti Dogmaticam amplexi fuimus, inque ejus conditoris obsequium, nostrum captivavimus intellectum, atque continuò propugnavimus. Per ipsam enim gravissimo circa Religionem negotio consulitur: divinæ gratiæ efficacia, ac humani arbitrii libertas restituitur, & conciliatur: caligo omnis discutitur, & fluctuantes animi componuntur. Utque cunctis pateat nostra hujusmodi Constitutionis observantia, in hac sancta Synodo animum nostrum aperire operæ pretium duximus. Eodem ergo prorsus obsequio, eademque veneratione prædictam Constitutionem Dogmaticã ab ejus emanatione venerati sumus, nuncque observamus, qua antiqui sancti Patres, omnesque Orthodoxi Episcopi Constitutiones Apostolicas. Ad cujus quidem Constitutionis venerationem omnes nostræ Diœcesis non solùm scimus accensos, sed & ad observantiam perpetuò ejusdem promptissimos volumus permansuros. Unde alacriter cum Patribus in Concilio Chalcedonensi congregatis repetimus: *Anathema qui ita non credit, Petrus per Clementem locutus est.*

CAP. III.

Parochi Christianæ Fidei rudimenta tradere non prætermittant. Quibus, quo tempore, & qua methodo, quæ dabitur in Appendice, id agere debuerint, edicitur.

INter maxima hominum mala, quæ ex primi parentis lapsu vulnerata natura, veluti saniem quamdam contagiosam, in universum genus hominum derivavit, illud

illud omnibus gravius non immeritò videri debet, nulli unquam ad illarum rerum cognitionem, quibus æterna salus comparatur, licere aspirare, nisi legitimi Doctoris fidelis opera, & diligens adhibeatur ministerium. Quam rem cùm probè noverimus, nunquam populi Pastoribus inculcare prætermisimus, ut studio vehementiori, & pietate elaborarent, ut suas oves sana & incorrupta doctrina, tanquam pabulo vitæ enutrirent, & confirmarent. Verùm a multis accepimus, & Nosipsi experti sumus, quod animum nostrum vehementissimè confodit, quamplures non tenerioris tantùm, sed provectioris etiam ætatis homines armenta pascentes, & in sylvis ferè semper degentes, fidei rudimenta prorsus ignorare. Cui malo efficaci aliquo remedio cõsulere cupientes, omnibus animarum Rectoribus districtè præcipimus & mandamus, ut quolibet die Dominico in prima Missa, quæ in aurora pro rusticorum commodo erit celebranda, post sancti Euangelii recitationem, Doctrina Christiana, quæ parva dicitur, nimirum: Signum sanctæ Crucis: Mysteria Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis: Symbolum Apostolicum: Oratio Dominicalis: Salutatio Angelica: Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ: Septem Sacramenta: Actus Fidei, Spei, & Caritatis, atq; Contritionis, ut in Appen. a Celebrante, vel ab aliquo alio Sacerdote alta & modulata voce, materno idiomate recitetur, ipso præeunte, & populo universo respondente. Quod etiam in Oratoriis, Capellis, & Ecclesiis ruralibus, ubi peragere sacra Mysteria contigerit, Celebrantes sub pœna suspensionis a Divinis adimplere teneantur. Hoc itidem in Missa Parochiali in locis præcipuè, ubi solus erit Parochus, Rectores animarum post sacrosancti Euangelii explanatio-

tionem in diebus prædictis præstare teneantur. Imò pro sermone ad populum aliqua ex Doctrinæ Christianæ Libello, a Cardinali Bellarmino edito, & a Clemente VIII. comprobato, memoriter, vel legentes suis aliquando ovibus explicabunt.

Post prandium verò in quibuslibet diebus Dominicis, & aliis Festis de præcepto, pueros, puellasque a septennio usque ad decimum quartum annum, maribus a feminis segregatis, ad Parochialem Ecclesiam Parochi cogere curent, in qua eos per ordinem in classes, juxta Instructiones in Quadragesimali Edicto datas, quasque in Appendice iterum dabimus, dispositos, Doctrinam Christianam ex supradicti Cardinalis Libelli methodo, qua solùm uti decernimus, clarè & distinctè una saltèm hora edoceant. Parentes, & quoscumque alios, sub quorum pueri, puellæve sunt auctoritate, in Domino adhortamur, quod etiam Parochi inter Missarum solemnia facere non omittant, ut eorum filios, aut quos sub cura habent, statim audito signo, ad discenda in propria Paræcia rudimenta Fidei mittere non negligant, ne pro hujusmodi socordia ipsi pœnas dare ab æterno Judice conentur. Si post reiteratas adhortationes in tam gravi animæ negotio negligẽtes fuerint, Ecclesiastico subjaceant Interdicto. Conqueritur Dominus per Ezechielem Prophetam de Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: (a) *Nonne Greges a Pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis: Gregem autem meum non pascebatis*. De animarum Rectoribus Dominus conqueritur, qui plebem eorum solicitudini com-

a *Cap.* 34.

missam pascere negligunt, lac verò comedunt, lanis operiuntur, & quod crassum est occidunt: pascere verò plebem lacte & esca, dummodo semetipsos pascant, haud curant. Pascuntur lacte pueri, cùm Christianæ pietatis ubera sugentes, Fidei imbuuntur rudimentis: esca prębetur per sacrosancti Euangelii explanationem ætate provectioribus. Ut ergo animarum Rectores illud terribile væ per Prophetam comminatum a seipsis avertant, nostri muneris est, attendentes universo Gregi, in quo nos Spiritussanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, illis districtè mandare, ut quolibet die Dominico ad populum inter Missarum solemnia sanctum Euangelium post illius lectionem explanando, vel Doctrinam Christianam explicando, sermonem habeant ad populi captum accommodatum, ne iis dicatur: *Seminastis multum, intulistis parum*. Si quis verò Parochorum in tradendis Fidei rudimentis, vel in explanatione sancti Euangelii statutis diebus negligens fuerit, decem carolenorum pœnam, piis usibus applicandam, pro qualibet vice omnino subibit.

C A P. IV.

Quis verbi Dei disseminandi a Quadragesimalibus præsertim Concionatoribus tenendus. Nullus eorum sine Episcopi licentia aliquò se conferat, priusquam se priùs præsentet, Episcopalem benedictionem accepturus.

ETsi Nos minimè fugiat, Episcopalis muneris solicitudinem requirere, ut populi Nobis commissi animos,

mos, in pessimas corruptelas suapte natura ruentes, ad honestissima quæque sacris concionibus inflammemus, ejusdemque luxuriantes cupiditates verbi Dei aculeis coerceamus, quod & in hac Cathedrali Ecclesia frequenter tempore etiam Quadragesimali, & in omnibus ferè nostræ Diœcesis locis, non semel, atque iterum, sed sæpissimè pro nostris viribus facere conati sumus. Cùm tamen ubique præsentes haud esse possimus, plurimisque Diœcesis negotiis pro recto ejusdem regimine detineamur, nostras vices aliis cogimur demandare.

Cùm autem pręcipuum Concionatorum munus sit vitiorum monstra confodere, quę Catholicę Fidei viscera dilacerare conantur, terrorem improbis incutere, & eorumdem animis virtutum semina inserere, errorum radices, & fibras impunè pullulantes verbi Dei gladio resecare; propterea sibi persuadeant, sese hæc omnia non copia tantùm & ubertate dicendi, sed castigatę etiam vitę splendore cumulatissimè assecuturos. Cùm enim virtutum, aut vitiorum amor hauriatur potiùs e Concionantium exemplo, quàm eorumdem inanibus verbis, fit, ut hominum ingenia vehementiùs ad divini Numinis cultum exardescant, si Concionatores ipsi bene incorruptèque vivant, quàm si in populi corruptelas tragicè detonare videantur. In primis verò memores esse velimus, sese non inanis gloriolæ rumusculos aucupantes, festiva quadam, & ad inanem aurium oblectationem calamistrata uti oratione, sed Jesum Christum, & hunc Crucifixum annuntiantes, sacrarum Scripturarum ex vulgata editione depromere testimonia, & earumdem e sanctis Patribus, & lectissimis Ecclesiæ Doctoribus afferre interpretationes, inanes fabu-

bulas, & quæ turpia præsertim repræsentant, prorsus exhorreant.

At quoniam Prædicatorum deputatio universa in hac Triventina Diœcesi (exceptis Civitate Angloni, Terris Frusinonis, Castrisangri, Castellionis, Sancti Blasii, quorum nominatio ad Universitates ipsas, in Capracotta alternatim ad Nos, & Universitatem, & in illa Castripinceani ad ipsius Ducem ex nostrorum Prędecessorum, & nostra munificentia spectat) ad Nos privativè quoad omnes alios pertinet, in cujus quasi possessione Antistites Triventini Antecessores nostri recol. mem. fuerunt, & Nos semper pacificè fuimus, ac sumus, quibus a laicorum Communitatibus eleemosynæ solvuntur: omnibus hujus Diœcesis Communitatibus mandamus, ut Prædicatores a Nobis mittendos recipiant, filiali eos amore foveant, attentis audiant auribus, & solitam eis erogent eleemosynam. Ad prædicandum verò non facilè illos a Nobis admitti notum facimus, qui prece, aut Magnatum commendatione, nisi eorum boni mores Nobis noti sint, ac salubris scientia, sese in ministerium Apostolicum intrudere præsumant. Communitatibus, aliisque, ut suprà dictum est, Prædicatorum nominationem, & indicationem habentibus, usque ad Epiphaniæ diem ad nominandum, & indicandum, tempus indulgemus; quo elapso, Nobis pro illa vice, devolvitur electio. Nominationem autem prædictam fieri convocato per Universitatem parlamento necesse nõ esse, in prima nostra Synodo, antiquam Constitutionem abrogando sub Titulo de Constitutionibus jam statuimus, & nunc iterum declaramus.

Nullus tam secularis, quàm Regularis in quacunque Ecclesia, sive Oratorio, etiam proprii Ordinis

nis nostræ Diœcesis absque nostra, vel Vicarii nostri Generalis expressa licentia, ac etiam prævio examine; si id Nobis expediens videbitur, sub pœnis in Constitutione Greg. XV. incipien. *Inscrutabili Dei providentia*, audeat prædicare. Prædicatores omnes Literas S. Cong. Conc. Innoc. XI. jussu transmissas, quas in Appendice dabimus, ante oculos habeant, easque iterum atque iterum perlegant.

Cuncti in locum nostræ residentiæ coram Nobis in Sabbato ante Dominicam Quinquagesimæ se conferre teneantur, cum Literis testimonialibus sui Superioris, si fuerint Regulares, si verò seculares, sui Ordinarii. Tunc enim eis & Literas Patentales, & monita dabimus salutaria, uti & facultatem excipiendi Confessiones, si aliàs a Nobis, vel ab alio Ordinario hujusmodi reportaverint approbationem, nec super hoc accessu ullam unquam admissuri erimus excusationem.

Ut autem evitetur in Concionatoribus omnis turpis lucri suspicio, quæstuationem in locis, in quibus hæc viget consuetudo, per Parochum, aut alium idoneum Ecclesiasticum, simul cum viro laico ad gubernium dicti loci electo, non verò per seipsum fieri mandamus.

Omnibus nostræ Diœcesis Ecclesiasticis in quocunque ordine, & dignitate constitutis, sub amissionis distributionum illius diei pœna, ut in prima nostra Synodo in abrogatione alterius Statuti fol. 27. fuit sancitum, mandamus, ut Verbi Dei prædicationi in loco a reliquo populo segregato, & decenti semper assistant: mares a feminis in Ecclesiis non solùm concionis tempore, verùm & in quolibet alio, honestatis & modestiæ gratia, maneant separati atque divisi. Reliquum

liquum verò populum in viſceribus Jeſu Chriſti, concionibus, poſthabitis quibuſcunque ſecularibus negotiis, frequenter intereſſe hortamur, ut quęſito priùs regno Dei ejuſque juſtitia, reliqua omnia poſt hæc adjiciantur ei. Mercatores, & artifices etiam atque etiam monemus, ut concionis tempore officinas, & apothecas clauſas teneant, inhærentes primis noſtris Synodalibus Conſtitutionibus, per quas e medio pecuniariam pœnam ſuſtulimus.

C A P. V.

Execrabilis blaſphemantium impietas denuntianda evulgatur. Contra Deum, Jeſum Chriſtum, aut ejus Genitricem blaſphemiæ abſolutio Epiſcopo reſervatur.

NUnquam homines atrociori ſe adſtringunt ſcelere, quàm cùm ſacroſanctum Dei Optimi Maximi nomen, ab omnibus creaturis pietatis operibus, & ſummis laudibus excolendum, aut etiam Sanctorum nomen cum Deo regnantium, impuro & conſpurcato ore blaſphemare, aut execrari audeant. Hoc igitur tam atrox, tam immane facinus ut a noſtræ Diœceſis finibus ſtirpitus eradicetur, obſequentes etiam hac in parte Sereniſſimorum hujus Regni Principum, & Auſtriacorum potiſſimùm Edictis, cunctis mandamus, ut blaſphemias hæreticales proferentes infra menſem quiſquis audiverit denuntiet; & ſi plures ſimul audiverint, ſinguli idem faciant, niſi inter eos, ut unus pro omnibus id efficiat, conventũ fuerit, in ſuo robore permanẽte Decreto abo-

abolitionis pœnæ Cenſurarum in non denuntiantes blaſphemos, noſtra in prima Synodo Titulo de Conſtit. pag. 22. ſtatutæ. Blaſphemantes verò Deum, Jeſum Chriſtum Salvatorem, vel Beatiſſimam Virginem Mariam ejus Genitricem, nullus Confeſſariorum audeat, etiam pro prima & unica vice, abſolvere.

C A P. VI.

Anathematis gladio Sortilegi, aliique ſimilis vitii ſectatores ſubjiciuntur. Parochi, ne maleficiis quibuſvis ſeſe implicent commiſſas ſibi plebes admoneant: & Confeſſarii, num id egerint, ſedulò a Pœnitentibus exquirant.

TEterrimus ille humani generis hoſtis, qui daturus ſuperbiæ ſuæ pœnas, perpetuis inferorum mancipatus eſt ſuppliciis, ſuis fraudibus & fallaciis homines in ſcelerum ſocietatem allicere conatur, ut ſuppliciorum quoque faceret participes. Hinc impulit impios per inanes ſuperſtitiones, ad divitias comparandas, vel ad amorem, vel ad odium conciliandum, Dei providentiam futurorum inveſtigatione turpiſſimè æmulari. Ut igitur hujuſmodi impietatis monſtra a tanti facinoris immanitate deterreamus, omnes Sortilegos, Incantatores, Ariolos, Magos, ac Veneficos, qui ligaturis, nodis, characteribus, aut aliis ſignis, quibus nullam vim naturalem ineſſe conſtat, futura ſcire, morbos curare, mala tam hominibus, quàm brutis, & ſegetibus inducere, quàm reducere, conciliare amorem

rem, & odium imprimere, deperditas res conquirere, sponsos ligare præsumunt, sub Excommunicationis pœna Nobis reservata, quam ipso facto incurrant, damnamus; uti & omnes, qui tacitam, vel expressam cum dæmone inierint pactionem.

Sub eadem latæ sententiæ Excommunicatione quemlibet Sacramentorum, Sacramentalium, sanctarum Reliquiarum, vel quarumcumque sacrarum, & benedictarum rerum anathematizamus abusum tam pro causis supradictis, quàm pro thesauri inventione, proque aliis quibuscumque tragicis experimentis, licet hujusmodi abusus ut plurimum magis ad aliorum deceptionem exerceatur.

Prohibemus insuper sub iisdem pœnis omnem medendi curam, quæ ab aliquibus ad pecunias a simplicibus extorquendas, cum sacrarum precum, aut sacræ Scripturæ verborum abusu, per benedictiones, incantationes, insufflationes, per quæ naturalem medendi vim nullatenus habere possunt, adhibetur. Parochi, omnesque animarum Rectores admoneant plebem sibi commissam, illicitum esse omni Christiano hujusmodi exercere maleficia, quæ neque etiam possunt dissolvi alio maleficio, cùm non sint facienda mala, ut eveniant bona.

Ad superstitionis radicem ex hominum animis penitus evellendam, non solùm animarum Rectores suas vires intendant, sed Confessarii quoque eamdem obeant provinciam, exquirantque a Pœnitentibus, num adhibuerint valetudini, vulneribusque curandis remedia, quæ non a Medicorum arte quæsierint, vel, ut ab aliis adhiberentur, consiliarii, aut quovis modo authores fuerint? Tum præterea de temporum, locorum,

som-

ſomniorum,aliorumque hujuſmodi obſervatione interrogent, & quos ſuperſtitionibus hiſce obnoxios cognoverint, graviter monitos & objurgatos, a tali pravitate atque errore avertere & deterrere non prætermittant. Morbos priùs quidem Sacramentorum perceptione, ac divinæ opis imploratione, Medicorum deinde conſiliis ab eorum arte petitis curandos eſſe edoceant.

TIT. II.

De Conſtitutionibus.

CAP. I.

Primæ Diœceſanæ Synodi Decreta de anno 1721. celebratæ confirmantur, cum aliis ordinationibus, & declarationibus opportunis.

PRimæ noſtræ Synodi Decreta Beneventanis typis data, præcedente Ss. Domini noſtri Papæ Benedicti XIII. tunc temporis Cardinalis, & Beneventanæ Eccleſiæ Archiepiſcopi, ac Domini Regni Proregis, ejuſque Collateralis Conſilii approbatione* & aſſenſu, eſſe confirmanda, eorum utilitas ſuadet atque commendat; potiùs enim executioni veteribus, ſed juſtis legibus demandandis, quàm novis condendis incumbamus oportet. Primam noſtram Synodum, ejuſque Decreta, præter quæ præſentibus adverſantur Conſtitutionibus, confirmamus, atque antiquum robur habere ſancimus. Volumus tamen, & expreſsè mandamus, ut ab-

* haec approbatio legitur in principio Synodi pag: 2

rogationes, abolitiones, detractiones, moderationes, & explicationes Decretorũ Synodi Illustrissimi Antistitis immediati nostri Antecessoris, quæ etiam typis fuit data, licèt extra Regnum, & per trigintatrium annorum spatium, usque ad nostram ad hanc Cathedralem Ecclesiam promotionem vim habuit in suis partibus, quæ in prima Synodo pro recta Sacerdotii, & Imperii concordia abrogare, moderari, & explicare sub Tit. de Constit. a fol. 17. ad 31. operæ pretium duximus, sint, & in suo robore semper permaneant tam quæ ad Clericos, quàm quæ ad laicos spectant; præcipuè verò mulctarum contra Clericos ad medietatem reductio, earumque contra laicos omnimoda abolitio, & Censurarum juxta Tridentini regulam moderatio. Quas abrogationes, moderationes, & explicationes summatim hìc colligendas esse duximus.

Pecuniariam pœnam contra pistores panem conficientes, aliorumque comestibilium venditores, & contra laborantes diebus Festivis, uti & Excommunicationem contra pignora Prætoria, aut executiones Personales per capturam Personæ, etiam pro Fiscalium functionum solutione iisdem diebus facientes abrogavimus. Nullitatis contractus pœnam contra præstantes diebus supradictis in contractibus juramentum abolevimus: sicuti & aliam pœnam contra circulatores aliquibus diebus, & locis exhibentes, & adversùs deambulantes, aut in Ecclesia confabulantes, vel clamantes, rixantes, tumultuantes, comessantes, &c.

Abrogavimus etiam Excommunicationis pœnam contra Syndicos, aut quoscumque alios Officiales laicos, milites in Ecclesiasticorum domibus hospitio recipi destinantes, & contra non revelantes usurpatores,

ac

ac illicitos bonorum Ecclesiasticorum detentores.

Pœnam insuper pecuniariam contra Locorum Piorum Administratores, nova Inventaria infra duos menses non conficientes. Mulctam vigintiquinque ducatorum adversùs exhumantes cadavera Ecclesiasticæ sepulturæ tradita, prout illam contra Matrimonium prætermissis solemnitatibus a jure requisitis contrahentes e medio sustulimus atque obolevimus, unà cum pœna ducatorum decem contra sponsos de futuro in eadem domo cohabitantes, convenientes, aut inter se colloquentes; sicuti & contra non claudentes tempore concionis officinas, vel apothecas. Excommunicationis pœnam, librorumque amissionem contra non exhibentes suorum librorum elenchum: prohibitionem item indiscriminatim contra in hanc Diœcesim libros introducentes penitus abrogavimus; declaravimus tamen, libros in Indicis Congregatione prohibitos retinere, & illos introducere, ab eadem Sacra Congregatione vetitum esse.

Concionatoris nominationem, & indicationem ab Universitatibus, quæ in hac reperiuntur quasi possessione, esse faciendam convocato Consilio, ut in dicta Illustrissimi Antecessoris nostri Synodo statutum erat, in locis, in quibus hujusmodi viget consuetudo, locum tantummodo habere declaravimus. Sic pecuniariam pœnam contra depingentes, vel apponi facientes Imagines in Ecclesia, Episcopo non priùs ostensas, ad solos restrinximus Clericos: & Censuram contra blasphemos non denuntiantes, solummodo ad blasphemias hæreticales audientes. Supradicta igitur omnia, & alia hujusmodi, quæ sub citato Titulo leguntur, abrogata, abolita, restricta, & declarata volumus, & sancimus.

C A P. II.

Examinatorum Synodalium qualitates enumerantur. Juramentum ab ipsis præstandum. Eorum Index in Synodi calce refertur.

SAcri Concilii Tridentini Decretis humiliter obsequendo, Examinatores Synodales eligere volentes, viros doctrina ac pietate præstantes, qui hoc officium, donec altera habebitur Synodus, fungantur, vobis proposuimus, qui & communi suffragio fuerunt electi; eosdem tamen admonemus, in eorum memoriam revocantes, omnem Ecclesiæ nostræ disciplinam & sanctitatem ab eorum fide & diligentia pendere; ab eis enim Parochi, qui coadjutores nostri sunt, explorandi, & approbandi erunt. De hoc suo munere fideliter & laudabiliter exercendo, quacumque humana affectione postposita, ad sancta Dei Euangelia in manibus nostris, vel nostri Vicarii Generalis jurabunt. In jurisdictione contentiosa, aut voluntaria exercenda, nullatenus se ingerere præsumant, nec Cursores sibi ullo pacto audeant assumere, quod usque adhuc in hac Diœcesi auditum non fuit. Nos igitur, qui concordiam fovere, & novitates fugere cordi summopere habemus, licèt hujusmodi abusus in hac Diœcesi nunquam extiterit, pro majori tamen declaratione præsentem edere Constitutionem operæ pretium duximus. Catalogum autem ipsorum cum Judicibus Synodalibus, ut omnibus præ oculis sit, in calce hujus Synodi duximus referendum.

TIT.

TIT. III.

De Temporibus Ordinationum, & Qualitate Ordinandorum.

CAP. I.

Ecclesiasticæ adscribendi militiæ, quæ a Concilio Tridentino, & Synodalibus Constitutionibus sunt sancita, an ad unguem servaverint, Ordinationis tempore testimonium exhibeant.

CUM multis ex rebus dignitas, utilitas, & necessitas Sacramenti Ordinis ostendi queat, tum potissimùm ex eo, quòd cætera quidem omnia Sacramenta ab illo ita pendent, ut sine eo partim confici, & ministrari nullo pacto possint, partim solemni cæremonia, & religioso cultu carere videantur. Quapropter si unquam aliàs Pastoralis solicitudo sacris in rebus obeundis, pietatisque studiis excolendis omnes animi nervos intendere debet, in eligendis sanè, consecrandisque Altaris Ministris nunquam muneri suo satisfactum iri arbitretur, nisi id genus hominum in sortem Domini vocare curet, qui jam inde ab ipso ætatis principio Ecclesiasticam vitæ rationem inire cupientes, hoc robore animi, atque hac indole continentiæ præstare videantur, ut omnia blandimenta voluptatum respuentes & aspernantes, ad rerum cœlestium divinarumque cultum inflammato studio rapiantur. Ne igitur tanti officii munus a Nobis alicui temere imponatur, pri-

primùm quidem ea omnia, quæ de Sacramento Ordinis a sacrosancto Conc. Trident. sancita & constituta sunt, ad unguem observari mandamus: deinde monemus omnes, qui Ecclesiasticum vitæ genus cupient amplecti, ut Synodales Constitutiones de sacris Ordinationibus inferiùs perscribendas exequi curent, & de iis, quæ in illis continentur, tempore Ordinationis exhibeant testimonium.

C A P. II.

Clericalis habitus deferendi licentia ab Episcopo obtinenda. Qui ad Ordines admittendi, quique repellendi recensentur.

NUllus habitum Ecclesiasticum deferre præsumat, nisi priùs a Nobis licentiam obtinuerit. Nostrum animum apertè & clarè manifestamus, ad sacros Ordines non admissuros, nisi eos, qui suæ vocationis sufficiens dederint indicium, & quorum mores sint honesti, & vita probata. Filii unici, & qui functionum Fiscalium onera sustinent non facilè admittentur: aut qui alium fratrem Clericali militiæ adscriptum habeat: sicuti omnino repellentur, de quibus nulla appareat spes ad majores Ordines ascendendi. Rejicientur etiam qui vel secularis Judicii declinandi fraude, vel lucri cupiditate, aut aliis temporalibus commodis allecti, nullo cœlestis gratiæ instinctu, supernaque vocatione adducti, in Ecclesiam, non per ostium, sed aliunde irrumpere moliuntur.

CAP.

CAP. III.

Nullus prima Tonſura initiandus, niſi vel Beneficium habeat Eccleſiaſticum, vel Patrimonium poſſideat.

QUamquam ex diſciplina primitivæ Eccleſiæ quicumque Eccleſiaſticę Hierarchię nomen dabat, eodem tempore alicui intitulabatur, ſeu adſcribebatur Eccleſiæ, in qua primùm exercebat Ordinem, & alimenta percipiebat, ita ut unico actu Ordinem, Officium, & Beneficium reciperet, nec aliter Epiſcopus Ordines conferre poterat; frigeſcente deinde tractu temporis tali diſciplina, in locum Beneficii Patrimonium fuit ſuffectum, quod ſacroſancta Tridentina Synodus renovavit, concurrente tamen neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ. Verùm etſi Patrimonii titulus in ſolo Subdiaconatus Ordine a ſacris Canonibus ſit requiſitus; Nos tamen providentes, ni in prima Tonſura conſtituatur Patrimonium, quampluribus e minoribus Ordinibus ad laicalem ſtatum redire, vel in minoribus ob deficientiam tituli continuò permanere, & ob victum quærendum ſordidas artes exercere neceſſe eſſe, medietatem Patrimonii, concurrentibus requiſitis prædictis, a noſtro Anteceſſore in prima Tonſura ſtatutam, ad integrum Patrimonium, abſurdis ſupranarratis occurrendo, in prima noſtra Diœceſana Synodo reducere operæ pretium duximus. Nunc verò, prædictum Decretum confirmantes, denuo ſtatuimus, neminem prima Tonſura eſſe exornandum, niſi Beneficio Eccleſiaſtico ſuo tempore provideatur, vel concurrente neceſſitate, aut Eccleſiæ utilitate, integrum Patrimonium juxta noſtras

ſtras Synodicas Conſtitutiones ſibi fuiſſe conſtitutum in Actis demonſtraverit.

C A P. IV.

Statuta Patrimonii quantitas indicatur. Fictitium Suſpenſionem ipſo facto inducit. Conditiones ad probandam veram Patrimonii exiſtentiam proponuntur.

PAtrimonia in hac noſtra Diœceſi, ob vilitatem rerum ad ſuſtentationem neceſſariarum, ex immemorabili conſuetudine conſtituuntur in ſumma ducatorum vigintiquinque, quam conſuetudinem approbamus & confirmamus; mandamus tamen ſub pœna Suſpenſionis ipſo facto incurrendæ, ne hujuſmodi Patrimonia ſint fictitia, aut fraudulenta; ac propterea Patrimonium conſtituens, illud non eſſe fictitium, nec ullam fraudem redolere, ſed verum, & reale abſque ullo alio pacto oretenus, aut in ſcriptura ſeparata inita penes acta noſtræ Cancellariæ jurare teneatur. Non admittantur donationes ab extraneis factæ, quæ ut plurimum ſunt fictitiæ: reditus ſint veri & certi, non autem aerei & ad pompam, eoſque verè percipiat promovendus. Unde in informatione ſuper Patrimonii probatione capienda ſequentia verificari ſtatuimus, nempe: a quo bona aſſignata fuerunt donata: an ſint libera, vel hypothecæ obnoxia, aut ære alieno gravata, vel aliquo alio onere, præſertim Miſſarum, livello, fideicommiſſo purificato: an Fratribus, & Sororibus, ſi quæ ſint, ſicuti & Patri virilis portio remaneat: cujus valoris ſint bona in Patrimonium aſſignata (in quo ap-

appretio non comprehendi domum mandamus, quæ pro habitatione Ordinandi deservire debet):an reddāt ducatos vigintiquinque de præsenti, & in futurum reddere possint. Patrimonia verò, ut suprà constituta, etiam iis, qui in minoribus Ordinibus sunt, vendi, hypothecari,aut quocumque modo alienari Nobis inconsultis, sub pœnis nostro arbitrio prohibemus; & si aliquando justis ex causis hujusmodi licentiæ erunt concedendæ, ut illæ in Actis constitutionis Patrimonii registrentur, & adnotentur,præsenti Constitutione mandamus. De utilitate, aut necessitate Ecclesiæ, quam in Ordinandis ad titulum Patrimonii sacri Canones requirunt, Parochi ipsorum Ordinandorum, quorum conscientiam oneramus, Nos cum juramento certiorabunt; & statim ac prima initiatur Tonsura,servitio & ministerio ejus Parochialis Ecclesiæ, cui inservire teneatur, censeatur adscriptus Tonsuratus.

C A P. V.

Qui habitum Clericalem deposuerit, sine Episcopi licentia nequit iterum assumere. Si justa causa id suadeat, iterum assumendi impetret facultatem.

QUemadmodum habitum Clericalem assumere,nisi de nostra licentia,nulli licet, ita nemini fas est, etiam si prima sit initiatus Tonsura, eum denuo induere, quem semel dimisit. Imò declaramus, hunc prorsus facultate deferendi habitum Clericalem privatum esse, suspensumque ab aliis Ordinibus in posterum suscipiendis; si verò non ex levitate, sed justis ex causis Clericalem habitum deposuisse constiterit,at-

que ex morum probitate, vitæque honestate futurus verus Ecclesiæ Minister dignoscetur, eidem habitum deferendi nova in scriptis facultas concedi poterit.

TIT. IV.

De Sacra Unctione.

CAP. UNIC.

Animarum Rectores Extremæ Unctionis Sacramentum suo tempore administrent. Sacrorum Vasa Oleorum, quæ apta esse debent in unaquaque Parochiali Ecclesia, in Tabernaculo ad id deputato observentur, cujus Clavis penes Parochum retineatur: qui Infirmis ratione utentibus hujus Sacramenti virtutem, atque utilitates satagat explanare.

QUamvis nullum sit nostræ vitæ spatium, in quo ad colluctandum cum inimicis, quibus undique circumfundimur, divina gratia non indigeamus, nunquam tamen cœleste præsidium enixiùs est efflagitandum, quàm cùm in extremo hujus vitæ agone fractis corporis viribus contra diaboli insidias decertandum erit. Unde Christus Salvator noster, quemadmodum ad servandam Baptismi innocentiam Confirmationis Sacramento, tanquam firmissimo quodam scuto, nos munivit, ita cùm ex hac vita decedentes, metu mortis impendentis vehementiùs torquemur, & majori in periculo versamur, ut expeditiorem ad cœlestem patriam

triam viam haberemus, Extremæ Unctionis Sacramentum instituit. Quare unusquisque Parochus omnem diligentiam adhibebit in eo administrando, ut, cùm periculum mortis Ægroto immineat, & supremus vitæ dies instare videatur, illud in tempore administret.

Sacra Olea quolibet anno renoventur, & vetera in sacrario comburantur, non autem in lampadibus, sicuti alicubi factum esse audivimus: nihil iis admisceatur absque nostra speciali licentia. Quælibet Parochialis Ecclesia Vasa habeat pro conservandis Sacris Oleis, saltèm stamnea, integra, non stillantia, quæ reponantur in Tabernaculo decenti, &, si fieri potest, juxta Aram, in qua sancta Eucharistia asservatur, ut Sacerdos laturus Eucharistiæ Sacramentum & Oleum Sanctum ad Infirmos, utrumque paratum habeat. Clavis dicti Tabernaculi per ipsummet Parochum retineatur, neminique tradatur. Feria quinta in Cœna Domini Capsulæ pro Sacris Oleis recipiendis in nostra Cathedrali mittantur per Sacerdotem, aut saltèm per Clericum, & Claves ipsarum in literis Vicario Curato dictæ Cathedralis directis recludantur, quas eodem modo eisdem reddet.

Sacramentum Extremæ Unctionis Infirmis periculosè decumbentibus, dum ratione utuntur, administretur, ut sciant Infirmi quid recipiant. Explicet priùs Parochus in hoc Sacramēto administrando Ægro, cæterisque præsentibus illius vim, & utilitates. Et quoniam inter Christianos adsunt quamplurimi, qui hoc Sacramentum vel omnino ignorant, vel saltèm ejus vim, & efficaciam nesciunt, Parochus propterea saltèm bis in anno virtutem ejusdem populis explicare, sub pœna arbitraria, curabit. Ad Infirmos absque ne-

cessitate sacrum Viaticum simul cum Oleo Sacro non deferatur; & si necessitas adfuerit, distinctus Sacerdos, aut Diaconus, si haberi possint, post Parochum Superpelliceo, & Stola violacea indutus occultè deferat, & ministrata Communione, idem Parochus inde administret Extremam Unctionem.

T I T. V.

De Officio Judicis Ordinarii.

C A P. I.

Vicariorum Foraneorum munera recensentur. Quæ potissimùm agenda tam pro dierum Festorum observantia, quàm Synodalium executione Decretorum, præscribuntur. Causæ triginta carolenorum summam non excedentes eisdem committuntur.

QUamvis Nobis certum sit omnia experiri, ut Vineam Domini nostræ Pastorali solicitudini commissam non solùm spinis, & carduis, quibus undique redundat, expurgare possimus, sed virtutum quoque semina, quoad fieri potest, inserere; cùm tamen Nos ubique esse nequeamus, Vicarios Foraneos constituendos duximus, qui nostri muneris partes obeuntes, omni, qua fieri potest, fide & diligentia Agrum Ecclesiæ pro viribus suscipiant excolendum. Magnum enim sibi præsidium ad urbes felicissimè gubernandas ex his Vicariis comparant Episcopi. Quamobrem sicut suum

suum munus bene obeuntes,largis præmiis non a Nobis solùm, sed a Deo etiam copiosissimè se sperent cumulari, ita si per suam oscitantiam campum infelicibus herbis horrere, & angues in herba latere patiantur, non nostram solùm, sed divinam etiam noverint se subire indignationem. Curent igitur in partem solicitudinis nostræ Pastoralis admissi, virtutum exemplis præfulgentes, in divino cultu augendo sedulam operam collocare; quæ ut faciliùs perficiant:

Primò curent, ut dierum Festorum religio ab omnibus sanctè excolatur, nec in illis opera servilia unquam exerceri permittatur, nisi urgens necessitas, vel utilitas publica aliud suadeat. Quamobrem ipsi nullam admittentes personarum exceptionem,cognoscant, cognitaque gravissima necessitate,licentias omnino gratis concedant.

Secundò: omnes diligentiæ vires in eo potissimùm collocare studeant, ut hujus Synodi Decreta ab omnibus ad unguem executioni demandentur; & si qui erunt, qui ea violare præsumpserint, non negligant eorum nomina ad Nos quantò citiùs deferre, & in eos, sicut in quoscumque alios legum nostrarum contemptores inquirere, ut malis ingruentibus consulere possimus.

Super omne diligenter curent Vicarii Foranei Ecclesiasticorum mores inquirere, num Parochum in Doctrina Christiana juxta nostras Instructiones coadjuvent: casuum Moralium conferentiam, & illam dictam Patris Pavonii frequentent habitum modestè deferant: mulieres suspectas domi retineant, Nosque de omnibus certiores reddere teneantur; sicuti si quæ in populum sint scandala, Excommunicati vitentur, num

ad-

adſint Concubinarii, Uſurarii, Blaſphemi, Adulteri, Lenones, Sponſi per verba de futuro inter ſe cohabitantes, Conjuges ſeparatim viventes, rerum Eccleſiaſticarum occupatores, aliique omnes morum corruptores, ut tantis malis opportuna remedia præbere poſſimus.

Cognitionem cauſarum civilium, quæ carolenos triginta non excedunt, eis demandamus, ne ad noſtrum Tribunal acceſſuri defatigentur Diœceſani. In prædictis cauſis abſque ſcripto, & de plano procedere mandamus, niſi aliter pro cautela partium fuerint requiſiti. In locis, in quibus Vicarii Foranei non erunt, vel in eorum abſentiam, Archipresbyter hoc exequatur munus.

C A P. II.

Epiſcopalis Fori Taxa, a Sacra Congregatione approbata, ad amuſſim in noſtra Curia ſervanda.

AD omnem cupiditatis ſuſpicionem e noſtro Foro tollendam peculiari Conſtitutione Cancellario noſtræ Curiæ, aliiſque Officialibus diſtrictè mandamus, ne in emolumentorum, vel diriɛtuum pro ſingulis expeditionibus, ſive ſcripturis exigendorum, Taxam noſtræ Curiæ, Sacræ Congregationis judicio reviſam, approbatam, & commendatam, quæ publicè proſtat in Cancellaria, excedere ullo modo præſumant, ſed eam in perpetuum religiosè ſervandam ſtatuimus & præcipimus.

CAP.

CAP. III.

Ubi delinquentes post crimen delitescunt, nec personaliter queunt citari, domi facta bis citatio sufficit ad ulteriùs procedendum.

QUoniam persæpe post patratum delinquentes scelus, quod Excommunicationis sententia corrigi deberet, delitescunt, ita ut illos personaliter citare difficillimum reddatur, sancimus juxta laudabiles aliarum hujus Regni Curiarum Constitutiones, ut qui citari personaliter nequeunt, sufficiat contra eos citatio facta bis domi, aliquo competenti inter unam citationem, & aliam tempore interposito, relinquendo citationis copiam citandi domesticis, aut vicinis; qua citatione taliter executa, possit ad Excommunicationis declarationem validè procedi.

TIT. VI.

De Majoritate, & Obedientia.

CAP. I.

Bulla Exemptionis Triventinæ Ecclesiæ a Metropolitana Beneventana datur in Appendice.

CUm felicis recordationis Sixtus PP. IV. Triventinæ Ecclesiæ Antistites pro tempore existentes a Metropolitana Beneventana exemerit, & Sanctæ Sedi Apo-


Apostolicę indulserit fore immediatè subjectos, prout ex ejus Bulla, sub datum Romę apud S. Petrum pridie Kalendas Julii 1474. Pontificatus sui anno tertio clariùs liquet; hinc est, quòd Bullam ipsam in Appendice pręsentis Synodi duximus exarandam, ut ad perpetuam rei memoriam cunctis pateat collatum Ecclesię nostrę Exemptionis hujusmodi privilegium.

C A P. II.

Ecclesiasticam in Oppidum Castripineani Jurisdictionem latum a Sac. Congreg. Episcoporum & Regularium Decretum ad Triventinum Episcopum pertinere definit.

JUrisdictionem nostram Episcopalem, quam supra quadragintaseptem Civitates, & Terras pacificè, & planè exercemus (tot enim sunt loca hujus Triventinæ Diœcesis) sicuti in rebus temporalibus ultra præfixos limites nullimodè extendere fuimus unquam meditati (ab his enim Episcoporum vita, qui rerum sũt cœlestium dispensatores, abhorrere debet) sic illam ab aliis usurpari, aut quovis modo strictiùs intra statutos terminos restringere, vel in aliqua parte lædi nequaquam patimur, neque absque nostro dedecore, & ejus, qui hanc Nobis commisit Ecclesiam, possumus sustinere. Hac de causa diuturnam non sine maximo dispendio litem in Romana Curia pro manutentione Jurisdictionis nostræ in Terra Castripineani sustinuimus. Prætendebat illius Archipresbyter ordinariam super Ecclesiasticis prædictæ Terræ, & Ecclesiis ejusdem exercere Jurisdictionem, virtute etiam concorda-

datorum cum nostris Prædecessoribus initorum, etsi omni forma, & debito Apostolico beneplacito carentium, Præsentatos ad Beneficia instituere, causas Civiles, Criminales, & Matrimoniales cognoscere, Censuras ferre, armatam tenere familiam, omnesque alios actus, qui plenam denotant Jurisdictionem, exercere. Unde causa cognita, & partibus auditis, re plenè discussa in Sacra Congregatione Eminentissimorum Cardinalium super negotiis Episcoporum & Regularium præposita, Ponente Eminentissimo Tanara fel. record. sub die 15. Aprilis 1722. favorabile nostræ Curiæ prodiit Decretum, quo dicto Archipresbytero interdictum fuit, ne in posterum ullum prætensæ Jurisdictionis actum in Clerum, & populum dictæ Terræ exercere auderet, seu præsumeret, minùsque Officiales, & Ministros nostræ Curiæ Episcopalis super exercitio privativæ Jurisdictionis in Clerum, & populum Terræ prædictæ exercendæ, sub quovis prætextu impedire, prout latiùs ex Decreto enuntiato, quod in Appendice dabimus, in cujus exercitii privativè Jurisdictionis pacifica possessione Nos fuimus, & sumus.



TIT. VII.

De Feriis, & Festorum dierum observantia.

CAP. I.

Festis diebus a servilibus abstinendum, nisi pietas, aut necessitas aliter suadeat: tuncque laborantes ab Episcopo, vel Generali Vicario licentiam, quæ gratis concedetur, impetrabunt. Edictum super Festorum dierum observantia subministrabit Appendix.

ETsi apud omnes homines natura comparatum esse accepimus, ut statis quibusdam anni temporibus, a negotiis, corporisque laboribus feriati, certos sibi dies eligerent, qui divinis rebus obeundis essent consecrati; Deus tamen omnium creator, admirabili hujus universitatis opificio absoluto, ne nos tanti beneficii aliquando caperet oblivio, peculiari adstrinxit præcepto, ut cùm reliquos dies necessariis rerum functionibus daremus, septimum, in quo cessavit ab opere, in Numinis contemplatione integrum consecraremus. *Memento ut diem Sabbati sanctifices: sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est.*(a) Ut autem omnes cognoscerent, non ab operibus tantùm servilibus cessando, sed pietatis, & Religionis officia sanctiùs obeundo, Deum hisce diebus esse studio vehementiori excolendum, illorum obser-

van-

(a) *Exod.* 20. 8.

vantiam servo suo Moysi pressiùs inculcans, subdit: *Loquere Filiis Israel, & dices ad eos: Videte, ut Sabbatum meum custodiatis, quia signum est inter me, & vos in generationibus vestris, ut sciatis, quia Ego Dominus, qui sanctifico vos.* Verùm hac nostra tempestate ingemiscentes videmus genus humanum eò temeritatis erupisse, ut Festos dies propitiando Deo dicatos, non servilibus tantùm operibus, sed libentibus animi relaxationibus, imò fœdissimis quandoque obscęnitatibus conspurcare minimè reformidet. Hinc plurimis ęrumnis, hinc calamitatibus, hinc miseriis homines implicari, in dies experimur: hinc sterilitas agrorum, hinc ventorum & tempestatum vis, hinc denique tot ingruunt mala, ut difficillimum sit nos posse aliquando ab iis expediri, nisi Dei ira piis operibus expietur. Ut igitur hac etiam in parte per Pastorale nostrum officium cultus Deo debitus, quantùm fieri potest, restituatur, omnia opera servilia, sicut et venditionem, & emptionem prohiberi necessarium duximus, excepta rerum comestibilium, & pro victu quotidiano necessariarum, atque pro infirmorum opportunitate venditione.

Abstineant iccirco Christi fideles ab omni opere servili, nisi necessitas, pietas, aut publica utilitas aliud suadeat, quibus in casibus adhuc est petenda licentia a Nobis, vel Vicario nostro Generali, ubi Curia residet; in aliis locis, a Vicario Foraneo, vel a RR. Archipresbyteris, a quibus gratis & absque ulla mercede concedatur, quacumque in contrarium consuetudine non obstante. Quia verò circa hoc præceptum gravissimas invenimus corruptelas, mandamus propterea, ut si quis dies Festos servilibus operibus violare præsumpserit, Ecclesiastico Interdicto subjiciatur.

Diebus Festis, & Quadragesimali tempore circulatoribus, histrionibus, aliisque hujus farinæ ludicra peragere, aut in scenam conscendere sub Excommunicationis pœna prohibemus: quod & suis Sanctionibus Augustissimi Cæsares, Festorum dierum venerationi prospicientes, interdixerunt: uti etiam sub eadem pœna omnino vetamus, ne similia ludicra, aut hujusmodi artis exercitationes prope Ecclesias exhibeant, licèt hoc per hujus Regni leges sit etiam ipsis prohibitum.

Prohibemus etiam his diebus omne placitum, aliosque actus Judiciales, quod & Potestates seculares sub pœna nullitatis suis Sanctionibus omnino interdixerunt. Quæ omnia in Edicto Appendici annectendo plenissime continentur.

C A P. II.

Episcopale Tribunal, quod esse debet exemplo, annotatas in hoc Capite Ferias, præter Festivos dies, observabit. Si quid in illis per ipsum agatur, irritum atque inane decernitur.

NOstrum itaque Tribunal, rejecta litigantium importunitate, exemplo præeat, alto in ea silentio his diebus indicto. Conquiescant igitur in nostro Foro Judiciorum contentiones infrascriptis diebus, quos ita servandos mandamus, ut ne consentientibus quidem partibus agi, actitarive in iis liceat, ni aliud urgens necessitas, aut pietas suadeat, & si quæ sint aliæ causæ a sacris Canonibus expressę, sub pœna nullitatis.

FE-

FERIÆ IN CVRIA NOSTRA EPISCOPALI TRIVENTINA SVNT.

1. A Vigilia Nativitatis Domini usque ad Epiphaniam inclusivè.
2. A Feria quarta ante Dominicam Quinquagesimæ usque ad Feriam Cinerum exclusivè.
3. A Dominica Palmarum usq;ad Dominicam in Albis.
4. A Festo Corporis Christi per totam Octavam.

DIEBVS FESTIS

1. S. Thomæ Aquinatis,
2. S. Benedicti,
3. S. Philippi Nerii,
4. S. Caroli Borromæi,

Die Commemorationis Omnium Defunctorum, &
Die 18. Julii, anniversaria Consecrationis Illustrissimi Domini.




TIT. VIII.

De Fide Instrumentorum.

CAP. UNIC.

Archivi Episcopalis custodia demãdatur. Scripturas quisquis sine licentia extraxerit, aut retinuerit, Excommunicationis pœnam ipso facto incurrit.

ARchivum nostrum, in quo jura nostræ Ecclesiæ, atque aliarum Ecclesiarum Civitatis & Diœcesis Acta omnia recõduntur, summopere Custodi commendamus, qui seris clausum perpetuò habeat. Si quis verò quamlibet scripturam ab eo absque nostra, vel nostri Generalis Vicarii licentia extrahere ausus fuerit, Excommunicationis sententiam ipso facto incurrat, cujus absolutionem Nobis reservamus, quam extendimus etiam contra retinentes, & non restituentes scripturas, ad nostram Curiam quomodolibet spectantes.



TIT.

TIT. IX.

De Vita, & Honestate Clericorum.

CAP. I.

Cùm ab Ecclesiasticorum vita cæteri vivendi formam sumere debeant; iccirco quæ illis sectanda, quæq; vitanda, per Paragraphos singillatim statuuntur.

QUamquam omnibus in rebus graviter & sapienter Concilii Tridentini Patres se gesserunt, nunquam tamen suorum studiorum, & cogitationum vires graviùs & sapientiùs explicuerunt, quàm cùm ad collabentis Ecclesiæ vires reparandas, priùs Clericorum corruptos depravatosque mores ad Apostolicæ disciplinæ præscriptum restituere conati sunt. Adeò enim deploranda est hominum fragilitas, ut vitiorum involuta tenebris, nunquam mentis aciem ad æternæ gloriæ lumen possit erigere, nisi sint, qui sanæ doctrinæ, castigatæque vitæ splendore præluceant.

Hinc semper ea fuit Ecclesiæ consuetudo, ut nunquam laicorum corruptelas stirpitus eradicari sibi persuaderet, nisi priùs diffluẽtes Ecclesiastici Ordinis mores coercuisset. Nos igitur, etsi inter tot, & tantas hujus seculi calamitates de Cleri nostri moderatione non mediocriter recreemur, quia tamen hominum ingenia sunt ad pessima quæque suapte natura proniora, iccirco Synodalium Constitutionum remediis confirma-

mare arbitramur ; ideoque Edictum de Vita , & Honestate Clericorum in Appendice evulgandum decrevimus.

§. I.

De cohabitatione Mulierum.

MAndamus igitur omnibus , & singulis Ecclesiasticis intra nostrę Diœcesis fines commorantibus, cujuscunque conditionis , & gradus ii sint , ne domi mulieres retineant , neque cum illis sub eodem tecto cohabitent , nisi sint in secundo saltèm consanguinitatis , vel affinitatis gradu sibi conunctæ , neque etiam famulatus prætextu , ni priùs a Nobis licentiam obtinuerint,sub pœna carceris formalis per duos menses:& licentiam pro ea dabimus, quæ omnem scandali & mali operis suspicionem excludat .

§. II.

De Choreis, Repræsentationibus, & Conviviis.

CLericis non solùm choreas agere , sed iis etiam interesse omnino prohibemus , sicuti & larvatos comitari , aut in loco publico , ubi scandalum præberi solet , spectare, comœdias recitare , aut alia spectacula repræsentando , in scenam prodire , vel iis interesse . Per oppida , aut civitates, neque diu ,neque noctu, soli , aut comitati, sonando , aut cantando discurrant . Convivia,& nimiam laicorum familiaritatem,multarum offensionum & scandalorum originem, debent Clerici declinare , aut fugere . Tabernas , & cauponas non solùm

folùm frequentare, imò ne ingredi quidem, præterquam ex necessitate, audeant.

§. III.

De Ludis, & Exercitiis.

ALearum, taxillorumque ludus, multorum malorum seminarium & radix, ex quo blasphemiæ, ira, desperatio, & temporis, pecuniæ, ac devotionis jactura plerumque eveniunt, prohibetur. Abstineant ergo Clerici, aliique nostræ Dioecesis Ecclesiastici a prædictis, aliisque quibuscunque, prætensa consuetudine in contrarium non obstante, quę potiùs morum corruptela dicenda est. Quascunque artes, & exercitia, quę vilitatem redolent, & Ecclesiastico decori indecentia sunt, sub pœna ducatorum sex, nostris Ecclesiasticis prohibemus.

§. IV.

De Armis.

ARma Clericorum sunt lacrymæ & orationes; abstinere proinde se debent ab armorum cujuscunque generis delatione, etiam pro usu venatico, absque expressa nostra licentia, aliàs pœna carolenorum triginta mulctabuntur. Arma laicis per Regias Pragmaticas prohibita, Clericis etiam vetamus. Quapropter ea neque domi retineant, neque deferant. Si cum iis fuerint apprehensi, per biennium ad triremes damnabuntur. Si fuerint tantùm visi, & convicti, per idem tempus exulent. Si verò domi retinuerint, ultra ar-

morum amiſſionem, ducatos triginta ſolvent.

§. V.

De Negotiis.

SEcularium negotiis non ſe immiſceant Clerici, quibus etiam prohibemus omnem illicitam negotiationem, & mercimonium, uti alienum a perſonis ſoli Deo dicatis. In Curiis laicalibus agere, aut comparere, abſque noſtra licentia non præſumant, niſi in caſibus a Jure permiſſis, ſub pœna ducatorum trium: ſubque eadem pœna ſubmittere ſe examini dictarum Curiarũ, ni priùs a Nobis debitam obtinuerint licentiam, iiſdem prohibemus.

§. VI.

De Veſtibus.

VEſtes interiores Clericorum ſint modeſtæ, non coloratæ; etſi enim habitus non facit Monachum, oportet tamen Clericos veſtes proprio congruentes Ordini ſemper deferre, ut per decentiam habitus externi morum internam honeſtatem oſtendant. Aurum, aut argentum, vel quod vanitatem oleat, deferre in veſtibus prohibemus, ne in ipſis cernatur veſtium cultus plurimus, virtutum autem vel nullus, aut exiguus. Sordidas verò veſtes atque laceras itidem vetamus: ſicuti veſtem, licèt nigri coloris, cum anſis magnis, ſive manicis, cum aperturis ex utroque latere partis anterioris, vulgò *le Finte*, laicorum more, omnino ſub pœ-

na

na amissionis vestis, aut illius valoris, interdicimus: Annulos aureos, aut argenteos cum gemma, ni eorum dignitas, aut officium illis concedat, sub pœna illorum amissionis, ne deferant. Coronam, sicuti & barbam octavo quoque die abradere sibi faciant. Comæ non sint nimis laxæ, sed tondeantur, ut pars auris conspici valeat. Comæ fictitiæ, sive capillitia, vulgò *Parrucche*, nullatenus, sub pœna arbitraria, ab Ecclesiasticis deferantur.

C A P. II.

Epistola Sacræ Congregationi Concilii pro spiritualibus Exercitiis a Clero agendis publicatur.

UT Ecclesiastici Ordinum, quibus initiati sunt, honestatem præseferant, decem integros dies in piis humanarum, divinarumque rerum exercitationibus mentem exerceant saltèm quotannis, ad præscriptum Encyclicarum Clem. XI. sanctæ memoriæ jussu a S. Cong. Conc. conscriptarum, quas in Appendice jussimus apponendas.

C A P. III.

Sacrorum Rituum, & conscientiæ Casuum Congregatio singulis hebdomadibus habenda decernitur. Methodus tenenda ostenditur. Pœna in contravenientes statuitur.

SCientia Ecclesiasticis præ omnibus valde necessaria est. Per Oseam Deus queritur: (a) *Quia tu scientiam repu-*

(a) *Cap. 4. v. 6.*

repulisti, ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. Ut ergo & incitemus desides, currentibus calcaria addamus, perutilem Casuum Moralium Congregationem, & aliam pro instructione Cleri, vulgò dictam *del Padre Pavone*, juxta methodum a Nobis datam, & ab omnibus hujus nostræ Diœcesis Cleris receptam, omnino frequentari volumus, & mandamus. Unde Ecclesiastici omnes, sive Sacerdotes, sive Clerici in quocunque Ordine constituti, singulis hebdomadis, stata die, & loco simul conveniãt, ubi a Præfecto, post lectionem alicujus libri spiritualis per quadrantem horę, proponantur duo casus, unus Moralis Theologiæ, Sacrorum Rituum alter, qui saltèm per horam discutiantur juxta Methodum in Appendice dandam. Quicunque huic Congregationi nõ intervenerit, nisi legitimè fuerit impeditus, aut de licentia Præfecti abfuerit, solvat carolenum unum pro qualibet vice, si fuerit Sacerdos; si verò Clericus cujuscunq; Ordinis, ultra pœnam prædictam, sciat, absque Præfecti attestatione de frequentia dictæ Congregationis, ipsum ad superiores Ordines haud fore promovendum: mulctæ verò ex hujusmodi transgressionibus penes Secretarium dictæ Congregationis depositandæ, pro emptione librorum in Sacristia ad usum dictæ Congregationis retinendorum impendantur.

C A P. IV.

Festis diebus Veste talari Clerici utantur.

Diebus Festivis nullus Clericus, nisi Veste talari indutus, Ecclesiam ingredi audeat, sub pœna arbitraria. Quisque Superpelliceum habeat, quod ter in anno

anno saltèm lavetur, ut exterior munditia sit interioris animi argumentum.

CAP. V.

Ecclesiasticis omnibus, præsertim in dignitate constitutis, honor debitus exhibeatur. Qui injuriam ipsis irrogaverit, pœnam pro modo subibit.

UT a laicis debitus exhibeatur honor viris Ecclesiasticis, utque cognoscatur quanti sint faciendi Ecclesiæ Ministri, prohibemus sub pœna Excommunicationis omnem injuriam verbalem gravem in Sacerdotes in dignitate constitutos, etiam Vicarios Foraneos, si eam irrogantes fuerint laici; si verò Ecclesiastici, graviter arbitrio nostro punientur; si autem Parocho ab Ecclesiasticis fuerit injuria irrogata, ipsi carceris pœnam subibunt. Nemo personatus Clericalem vestem, aut alicujus Religiosi Ordinis induat; qui verò eamdem ad hujusmodi profanos usus commodaverit, graviter arbitrio nostro punietur.

CAP. VI.

Singulis quindenis diebus Clerici Pœnitentiæ Sacramento expientur, & sacra reficiantur Synaxi. Eorum defectus Parochi Episcopo in scriptis deferant. Secularibus implicari negotiis, illicitum perhibetur Ecclesiæ ministerio mancipatis.

QUindenis saltèm quibusque diebus, ut secularibus exemplo sint, Clerici Pœnitentiæ Sacramen-

mento expiati, ſacra Communione reficiantur in Miſſa Cantata. Parochi ſingulorũ in hac re defectus & negligentias advertant, & notulam exhibere Nobis tempore ſanctæ Viſitationis, & Ordinationis eis diſtrictè mandamus. Iiſdem laicalis officii, ſive pro cauſis civilibus, ſive criminalibus, quocunque nomine vocetur, miniſterium, ſub pœna arbitraria omnino interdicimus & prohibemus. Nemo enim militans Deo, negotiis ſecularibus occupari debet.

TIT. X.

De Clericis non reſidentibus.

CAP. I.

Pro Eccleſiaſticis a noſtra Diœceſi diſceſſuris licentia a noſtra Curia expedienda, ſub trium aureorum pœna.

E Finibus noſtræ Diœceſis Eccleſiaſtici ſub pœna carolenorum triginta diſcedere non præſumant abſque licentia a noſtra Curia obtinenda, niſi gravis, aut repentina neceſſitas licentiam petere, eamque expectari non permittat, ſervato Decreto noſtræ præcedentis Synodicæ Conſtitutionis.

CAP.

CAP. II.

Parochi ultra biduum sine licentia a suis Paræciis non abſint, ſub eadem pœna.

PArochi verò a ſuis Paræciis ultra duos dies non abſint inconſulta Curia, etiam ſi e Diœceſi non diſcedant, & priùs curam animarum Sacerdoti Confeſſario commendent, ſub eadem pœna.

TIT. XI.

De Præbendis, Dignitatibus, & Canonicis.

CAP. I.

Vtraque Præbenda, Theologalis ſcilicet, & Pœnitentialis nuper inſtituta denuntiatur. Theologus non niſi vulgari ſermone ſacra Biblia exponat. Dignitates, Canonici, Manſionariiq; noſtræ Cathedralis, item Confeſſarii etiam Regulares ſacræ Scripturæ lectioni ſtata hora intereſſe teneantur.

CUm in hac noſtra Cathedrali Eccleſia, quæ ob ejus antiquitatem inter primas Italiæ Cathedrales refulget, ante noſtrum ad eamdem adventum non fuerit erecta Præbenda neque Theologalis, neque Pœnitentialis, a ſacro Tridentino Concilio, aliiſque Pontificiis Conſtitutionibus ſummopere inculcata, Deo tandem

No-

Nobis aſpirante,utramque jam debito præſtimonio aſſignato, ereximus, & per concurſum, Theologalem, & Pœnitentiariam inſtituimus. Et quamquam in Decreto erectionis dictæ Præbendæ, & Bullis ſuper ejus proviſione expeditis, ſatis, ſuperque & quodnam ſit munus Theologalis, & quæ partes Pœnitentiarii explicuimus; operæ pretium tamen duximus hac noſtra Synodo decernere,ut de Theologali Prębēda proviſus,quadraginta ſaltèm in anno lectiones publicè in Eccleſia diebus Feſtis ſuper ſacræ Scripturæ expoſitione, & interpretatione habere teneatur. Cùmque non omnes auditores eodem ſint ingenio præditi, hortamur proinde de Theologali Præbenda proviſum,ut Italico idiomate, clarè, & cujuſcunque captui ſe accommodet. In unaquaque lectione, textus enarratione præmiſſa, duas ex eiſdem ſacræ Scripturæ locis proponat, ſolvatque quæſtiones, hiſtorialem unam, moralem alteram, vel de Fidei articulis, & Sacramentis, vel de approbatis Eccleſiæ Ritibus, eorumque myſteriis, vel aliis ad ſanam doctrinam, & Chriſtianam inſtitutionem ſpectantibus. Dignitates, Canonici, & Manſionarii noſtræ Cathedralis, item & Confeſſarii omnes ſeculares, & Regulares huic ſacræ lectioni hora ſolita omnino interſint.

C A P. II.

De Theologali Præbenda providendus qualis eſſe debeat, annotatur.

UTramque Præbendam per concurſum provideri in futurum juxta Apoſtolicas Sanctiones mandamus.

mus. Theologalem verò viro in divinis erudito, & Doctori in sacra Theologia, vel qui infra annum Doctoralem lauream in eadem facultate suscipere possit, & magis idoneo in formali concursu a quatuor saltèm Examinatoribus, licet non Synodalibus, renuntiato.

CAP. III.

Conditiones Pœnitentiali Præbendæ insigniendi expenduntur.

PŒnitentialis Præbenda eodem modo non detur, nisi viro, qui quadraginta annos penitus expleverit, &, si fieri potest, Juris utriusque Doctori, aut in sacra Theologia, vel Jure Canonico Licentiato, aut aliàs aptiori, quique in futurum Canonicus Pœnitentiarius nuncupetur; sicuti & qui Theologalem Præbendam obtinuit, Canonicus Theologalis. Si Theologalis verò, & Pœnitentiarius in proprio munere exercendo desides, aut negligentes fuerint, pœnas Canonicas haud effugient.



T I T. XII.

De Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.

C A P. I.

Ecclesiasticarum rerum alienatio, ni urgens adsit necessitas, omnino prohibetur. Assensus a nostra Curia impetrandi: & fraudulenter obtenti, irriti denuntiantur.

BOnorum Ecclesiæ alienationem, nisi aliud urgens necessitas suadeat, Apostolica Sedes summopere execratur, ne patrimonia pauperum, deposita pietatis sensim ad nihilum redigantur. Hinc Paulus II. ne hujusmodi alienationes frequentiùs fierent, in Extravaganti *Ambitiosæ* statuit, ut *causa justa*, *solemnitas legitima*, *& consensus Apostolicus requireretur*; etsi permissum quoque sit Episcopis in aliquibus parvi momenti alienationibus, juxta consuetudinem Provinciæ, & Diœcesis, suum præstare assensum. Nos igitur inhærentes sacris Constitutionibus, sub pœnis in eis contentis, omnem alienationem, & distractionem rerum Ecclesiasticarum, quomodolibet ad Ecclesias, aliave loca Pia Ecclesiastica pertinentium, sub quocunque prætextu, aut quæsito colore, interdicimus, & prohibemus. Bona verò Ecclesiastica, aut ad Ecclesias, & alia supradicta loca Pia spectantia, parvi valoris, & quæ sub dispositione *Can. Terrulas* 12. *quæst.* 2. comprehenduntur, abs-


absque expressa licentia, & assensu in scriptis a nostra Episcopali Curia obtinendo, nullatenus alienari sub pœnis Canonicis sancimus. Sunt autem nonnulli, qui sanctissimas sæpe leges suis fraudibus eludere nituntur; a viris enim fide dignis audivimus, quòd ad evitandas expensas pro obtinendo Apostolico assensu in Curia Romana necessarias; idem corpus, quod alienare cupiunt, dividunt in duo membra, ut in dispositione dicti *Can. Terrulas* comprehendi possint, duas faciunt alienationes, & duos obtinent Episcopales assensus. Hujusmodi fraudes Nos removere volentes, ex nunc in posterum, ne similes fiant alienationes, sub eisdem pœnis Canonicis omnino prohibemus, & taliter factas, nullas & irritas esse declaramus, assensusque modo quo suprà extortos, nullius esse roboris & momenti.

Bona, quæ servando, servari non possunt, & de animalibus, vulgò dictis *Cacciatori*, absque licentia Vicarii Foranei, & Archipresbyteri, vel Supraintendentis loci Pii Ecclesiastici, cui debitam concedimus facultatem, vendi, aut alienari nullatenus posse præcipimus. Uti etiam prohibemus, sub pœnis arbitrio nostro reservatis, ne supellectilia Ecclesiastica, aut mobilia pretiosa Ecclesiastica ullo modo commodentur.

CAP. II.

Piorum locorum Bona ultra triennium non locentur. In alienationibus serventur solemnitates a Jure statutæ. Apponitur clausula in concessionibus enphyteuticis servanda.

DIctorum Piorum locorum Bona ultra triennium non locentur, nisi eorum qualitas aliud suaderet, juxta Const. præd. Pauli II. meliorem oblationem facientibus prævia candelæ accensione concedantur. Alienationes verò dictorum Bonorum nullatenus fiant absque solemnitatibus a Jure requisitis, sub pœna nullitatis actus, & aliis a Jure statutis, quod etiam locum habeat contra alienantes mobilia pretiosa. In concessione assensus pro directo domino in alienationibus rerum emphyteuticarum mandamus, ut novus dominus se obliget de facie ad faciem, ut dicitur, in beneficium loci Pii domini directi, pro recognitione prædicti dominii, & canonis solutione, sine qua clausula non concedatur assensus, & ex nunc pro tunc præsentis Synodalis Constitutionis vigore Oeconomos, aliosque Piorum locorum Administratores hujusmodi privamus facultate.



TIT.

TIT. XIII.

De Sepulturis.

CAP. I.

Sicut in Processionibus, sic in delatione cadaverum procedent Ecclesiastici. Defunctorum corpora nec ante ortum, neque post occasum solis ad Ecclesiam deferantur: nec ante octo ab obitu horas tumulentur: clangoresque feminei prohibentur.

ETsi apud omnes ferè cultioris nominis nationes in more positum esse accepimus, ut Defunctorum cadavera, solemnibus quibusdam ritibus expiata, terræ communi omnium parenti demandarent; nihil tamen Deo gratius fieri posse, quàm Mortuos sepelire, Tobiæ historia luculentissimè comprobavit. Et quamvis Christi fideles sub nascentis Ecclesiæ initium, dum inter Judæos, & Gentiles viverent, eorumque legibus & institutis tenerentur, vehementibus rationum momentis adducti, extra urbem Defunctos sepelire consueverint; sensim tamen mos inolevit eos in Basilicis Sanctorum sepeliendi, ut precum, quæ in illis offerentur, & Sacrificiorum fierent participes, & meritis Sanctorum, quorum reliquiæ ibi quiescebant, adjuvarentur. Quemadmodũ enim Ecclesia Imagines Sanctorum recepit ad monumentum memoriæ, ut iis homines excitarentur ad cultum illis exhibendum, ita videtur cadavera in Ecclesia sepeliri permisisse, ut Tem-

pla

pla ingressi Fideles, ibique Sepulcra, quæ iccirco monumenta appellantur, inspicientes, ad orandum pro Defunctis moverentur. Quapropter hoc quoque muneris nostri solicitudinem effugere non debet, ut funera omni, qua fieri potest, pietate ducantur, & suprema Defunctis sanctè & devote persolvantur Officia. Ecclesiastici sicuti in Processionibus, sic in Funeribus ducendis bini incedant, mundo Superpelliceo induti, & capite bireto operto post sanctæ Crucis labarum: pileum in iis deferri, nisi ad pluviam reparandam, omnino prohibemus. Cadavera ad Ecclesias ante solis ortum, vel post occasum non deferantur; nec tumulentur, nisi post octo horas ab animæ exhalatione. Clamores, femineiq; ejulatus, licèt humanitatis sint defectus, intra Ecclesiam prohibemus: Parochi omni solicitudine eos impedire curent.

C A P. II.

A Parochis, aliisque nihil exigēdum præter solitum, æqualiterque procedatur tam in Agendis pro civibus, quàm pro exteris: nec cadavera sub quocunq; prætextu insepulta præter definitum tempus manebunt. Ecclesiastica Sepultura quinam digni, quique sint indigni, explicatur; & Excommunicationis pœna Defunctorum cadavera exhumantes coercentur.

PRo funerandis cadaveribus nihil exigant Parochi, aliique Presbyteri ultra solitum, & consuetum, quod servari volumus etiam quoad exteros, sub pœna restituendi duplum; non enim tenetur, cæteris paribus, ad plus Advena, quàm Civis, ut per Sacram Con-

Congregationem fuit rescriptum Archiepiscopo Theatino. Miserabiles personæ gratis omnino sepeliantur, sive advenæ sint, sive cives. Cadavera sub prætextu anticipatæ emolumentorum solutionis, aut assecurationis, insepulta detineri, sub pœnis gravissimis prohibemus, cùm in Taxa Innocentiana sit hoc omnino interdictum. Morte violenta, aut subitanea correpti, non statim tumulentur, sed locus Curiæ seculari debitas adhibendi diligentias relinquatur. Nullius Defuncti cadaver, ni in ultima infirmitate Sacramentaliter sua expiasse peccata, aut saltèm præcedenti Paschali præcepto satisfecisse, vel aliquod pœnitentiæ signum dedisse constiterit, absque nostra licentia ad Sepulturam deferatur; mortui verò in notorio delicto, vel in manifesto damnationis statu absque ullo pęnitentiæ signo, nullatenus in Ecclesiis tumulentur, nec in locis, ubi Clericorum voces psallentium audiuntur, sub pœnis arbitrariis. Cadavera exhumari, aut aliò transferri, postquam Ecclesiasticæ fuerunt tradita Sapulturæ, sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ prohibemus.

C A P. III.

Pro Sepulcris construendis licentia ab Episcopo impetranda. Quomodo conficienda, statuitur.

Sepulcra in Ecclesiis nullus construat, nisi a Nobis debitam obtinuerit licentiam; neque Ecclesiæ pavimentum pro condendis cadaveribus effodiatur, sed infra terram in tumbis profundis, juxta præscriptum a Const. S. Pii V. incip. *Cùm primùm Apostolatus*, tumulentur: distentque Sepulturæ ab Altaris suppedaneo
per

per palmos quatuor, aliàs Interdicto subjaceant Altaria. In qualibet Ecclesia Parochiali adsit particularis Sepultura pro Ecclesiasticis, & Infantibus.

C A P. IV.

Episcopum de morte Sacerdotum cujusque loci Diœcesis respectivè admonendi Vicariis Foraneis onus injungitur. Anniversarium singulis annis pro Episcopo proximè vita functo, prout pro universis Ecclesiæ Triventinæ Episcopis cantandum demandatur.

MAndamus omnibus Vicariis Foraneis nostræ Diœcesis, ut cùm primùm aliquis Sacerdos in eorum Oppidis obierit, Nos certiores reddant, ut nostris Encyclicis alios Sacerdotes ad mutuam, & fraternam caritatem in offerendis pro ejus anima saltem duobus Missæ Sacrificiis, & Clericos per tres vices ad Officium Defunctorum recitandum hortari possimus. Quotannis die obitus Episcopi ultimi prædecessoris in nostra Cathedrali, omnibusque aliis Conventualibus, sive Receptitiis Ecclesiis nostræ Diœcesis, Anniversarium cum Missa solemni celebretur, sicuti per singulos annos alterum pro omnibus hujus Ecclesiæ Episcopis infra Omnium Fidelium Defunctorum Octavam agendum decernimus; & in quibuscunque Ecclesiis Parochialibus prima die non impedita post dictam Omnium Defunctorum Commemorationem, pro omnibus Ecclesiasticis defunctis illi Ecclesiæ descriptis, Officium Defunctorum cum Missa cantata de *Requiem* recitari mandamus.

CAP.

CAP. V.

Parochorum indemnitati super Quarta Funerali, etiam respectu Regularium, consulitur.

Apostolicis Constitutionibus inhærentes, ad præservanda Parochorum jura mandamus, ut quotiescunque aliquis in Ecclesiis Regularium, vel quia ibi Beneficium obtentum usque ad sui obitum retinuit, vel quia ibidem Sepulcrum similiter habuit Gentilitium, vel quia tandem Sepulcrum ibidem elegit, tumuletur, ejus Parocho persolvatur, & cum effectu tradatur Quarta Pars omnium intorticiorum, & candelarum, quibus Defuncti Cadaver in itinere ad Ecclesiam tumulantem associabitur, necnon omnium intorticiorum, & candelarum, quæ in eadem Ecclesia circa Cadaver, vel etiam in Altaribus in die funeris accendentur. A prædicta tamen Quarta Funerali exceptæ intelligantur, & sint candelæ, quas Sacerdotes, etiam Regulares, vel Piarum Sodalitatum Confratres funus associantes manu per viam accensas deferunt. Si verò funus non fieret in die tumulationis, sed ad aliam diem differretur; Parocho nihilominus detur Quarta Pars omnium intorticiorum, & candelarum, quæ ipsomet peracti funeris die in Ecclesia, ubi Defunctus humatus fuit, circa Cœnotaphium, atque in Altaribus ejusdem Ecclesiæ accensæ fuerint.

T I T. XIV.

De Parochiis.

C A P. U N I C.

Triventinam Diœceſim biennio quoque viſitandam ſtatuit Epiſcopus; & ſuperfluitati proſpiciens impenſarum, Familiarem ſuum, qui neceſſaria in S. Viſitatione comparare poſſit, adhibendum decernit.


CUm Beatiſſimus Apoſtolus Paulus moneat Epiſcopos illis verbis:(a)*Attendite vobis, & univerſo Gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, jam experientia compertum eſt, hoc Epiſcopale munus nuſquam feliciùs adimpleri, tum ad Dei cultum latiùs dilatandum, tum ad animarum ſalutem ex inferorum faucibus penitus vindicandam, quàm tempore Viſitationis; tunc enim non per alios, ut ſæpe, ſed per Nos ipſos corruptelas impunè pullulantes, & animarum diſcrimina cognoſcentes, omnem adhibemus diligentiam, ut ingruentibus malis conſulere poſſimus. Quamobrem etſi Prædeceſſores noſtri latiſſimos Triventinæ Diœceſis fines ſingulis trienniis viſitare conſueverint, Nos tamen Concilii Tridentini Decretis, aliiſque Apoſtolicis Mandatis inhærentes, ejus luſtrationem intra biennium, juxta Itinerarium Appendici addendum, ad ſummum perficere conabimur.

Quoniam verò experientia edocti comperimus, Procuratores, qui in Sancta Viſitatione, ad victum, & alia Nobis neceſſaria comparanda, a Clero deſtinan- tur,

(a) *Act.*20.28.

tur, quærentes proprias utilitates, magnum afferre detrimentum, expenſas in duplum augendo, uti ex libris locorum Piorum, & ex Cleri rationibus, non ſine ſtomacho aſpeximus; iccirco, ut huic quoque rei conſuleremus, noſtrum Familiarem deſtinandum duximus, ex cujus diligentia expenſæ duplo minores ab iis, qui de Jure, aut conſuetudine tenebantur, fuerunt erogatæ. Quapropter in aliis Sanctis Viſitationibus eamdem tenebimus methodum, ſemperque ſuper expenſis aliquis ex noſtris Familiaribus a Nobis deputandus invigilabit. Victu frugali moderatoque, ut par eſt, contenti erimus.

Cùm Epiſcopus ſemper, & potiſſimùm in Sancta Viſitatione frugalitatem non in victu ſolùm, ſed omnibus etiam in rebus præſeferre debeat; iccirco, ut omnem rerum affluentiam declinemus, & expeditiùs noſtri muneris partes obeamus, decernimus, ut quorumcunque noſtræ Diœceſis Baronum, cæterorumque laicalium Dominorum domibus pro hoſpitio in Sancta Viſitatione nunquam utamur, etſi illi, ut ſæpe aliàs, ſua liberalitate & munificentia Nos ſuas in ædes invitare non deſinent.



TIT. XV.

De Regularibus.

CAP. I.

Intra Monasterii Monialium septa ingredientes, vel cum ipsis sine licentia colloquentes, etiam si sint Regulares, Excommunicationis mucrone feriuntur. Qui licentiam obtinuerint, quomodo ea uti debeant, advertitur.

INter præcipuas Pastoralis officii solicitudines, quæ animum nostrum quiescere minimè sinunt, acriùs Nos mordent, quas de sacrarum Virginum claustris quotidie experimur. Hæ nanque voluptatum illecebris valere jussis, tanquam columbæ in foraminibus petræ, cùm ad rerum divinarum contemplationem inflammato studio rapiantur, quis dubitat humani generis hostem nihil prætermittere, ut illarum virgineam simplicitatem vel omnino destruat, vel aliquo pacto concutiat? Ne igitur nostræ Sanctimoniales a severiore vitæ ratione, quam tanta cum laude susceperunt, aliquando deflectere videantur, illarum claustra opportunis legibus munienda sancimus.

Primùm igitur sub pęna Excommunicationis Sedi Apostolicæ reservata, quæ ipso facto incurratur, prohibemus, ne quisquam extraneus intra Monasterii septa pedes inferat, exceptis casibus necessariis, & cum nostra licentia in scriptis obtinenda. Quibus autem facul-

ta-

tatem intra septa, necessitate cogente, ingrediendi aliquando permittimus, caveant ne ea abutantur, sed illa tempore tantùm necessario utantur. Pueri, puellæque, cujusvis ætatis sint, in Monasterii Clausuram nullatenus introducantur.

Excommunicationem etiam Nobis reservatam ipso facto incurrant qui sine nostra, vel Vicarii nostri Generalis, aut a Nobis Deputati licentia, colloqui audeant cum Monialibus in Monasteriis degentibus, vel cum aliqua, vel aliquibus earum (a qua lege conjunctos in primo, & secundo gradu excipimus) etiam si sit Novitia, aut Conversa, aut quę educationis gratia ibidem commoretur, prout per Prædecessores nostros prudenter fuit statutum, & usque modò observatum: quam Excommunicationem etiam incurrant, qui data opera, & ex professo cum aliis, quàm cum iis, quibus est concessa facultas, loquuntur, ut in Edicto, quod suppeditabit Appendix, explicatiùs continetur. In Communicatoriis verò, Confessionalibus, aut Rotis nulli Moniales alloqui liceat sub eadem Excommunicationis pęna, sicuti nec per januas Clausuræ: & si loquendi cum Monialibus facultatem habeat, ea pro solis Cratibus in communibus Collocutoriis sitis concessa intelligitur. Regularibus verò ex plurimis Summorum Pontificum, & Sacræ Congregationis Decretis sub Excõmunicatione, aliisque pœnis, colloqui cum Monialibus, etiam ad modicum tempus, est interdictum.

CAP.

CAP. II.

Monialium numerus in Monasteriis Civitatis, & Diœcesis affertur.

CUm in unoquoque Monasterio plures recipi Moniales non possint, quàm quæ pro modo, & facultate loci, & consuetis eleemosynis sustentari commodè possunt; inhærentes iccirco sacrosancti Tridentini Concilii Decretis, in hoc noviter constructo Monasterio Sanctę Claræ hujus Civitatis numerum sexdecim Monialium præscribimus: in aliis præscriptum a nostris Prædecessoribus numerum approbamus, nempe triginta Monialium in illo Anglonis, & vigintiquinque in Monasterio Rosselli præter Conversas. Unde, ultra prædictum statutum numerum, nulla alia recipiatur absque Sacræ Congregationis licentia.

CAP. III.

Dos, quæ debet esse in pecunia numerata, penes idoneam personam ante Puellæ receptionem deponatur.

DOs in pecunia numerata, non in stabilibus, aut censibus solvatur, quam promptam, paratamque habeant Parentes, priusquam ad receptionis actualem actum deveniatur, & quæ deponatur penes personam fide, & facultatibus idoneam de nostro consensu, recepta sponsione de ea, Professione secuta, ad omne Monialium mandatum reddenda.

CAP.

CAP. IV.

Pro Educandarum, Converſarumque Veſtibus Color præſcribitur.

PUellæ, quæ educationis cauſa in Monaſterio moram trahunt, ſicuti & Converſæ eo Veſtitu, qui virginali modeſtiæ, & pudicitiæ convenit, utantur. Sint itaque earum Veſtes non ſericæ, nec alterius, quàm nigri, aut fuſci, vel albi, aut violacei Coloris, ne ipſarum ornatus Puellas inter Chriſti Sponſas verſantes dedeceat.

TIT. XVI.

De Statu Monachorum, & Eremitarum.

CAP. UNIC.

Regulæ ab Eremitis Civitatis, & Diœceſis ſervandæ proponuntur.

CUm in hac noſtra Diœceſi non parvus ſit Eremitarum numerus, qui voluptatum blandimenta reſpuentes & aſpernantes, ut piis humanarum divinarumque rerum commentationibus mentem exercerent, ſolitarium vitæ genus amplexi ſunt; quia tamen nullis ſunt Regulis addicti, quibus in ſemel ſuſcepta vitæ ratione poſſint permanere, & diaboli inſidias, quæ undique

dique ſtruuntur, declinare; icciro haſce Regulas ipſis præſcribere non abs re judicavimus.

§. I.

Nullus ſine Epiſcopi licentia Eremiticum Habitum aſſumere poteſt.

NUlli liceat abſque noſtra expreſſa licentia, & ni priùs coram Nobis ſe præſentaverit, Habitum Eremiticum aſſumere, Eremumque incolere, ſub pœnis noſtro arbitrio reſervatis, neque ſuo libitu aſſumptum Habitum in alium alterius formæ, aut coloris mutare.

§. II.

Quamlibet Eremum duo ad ſummum incolant Eremitæ, neque ibi mulieres admittantur. Eleemoſynarum ratio quotannis reddenda.

IN qualibet Eremo duo ad ſummum habitent Eremitæ, nullatenus verò retineantur mulieres, licèt ipſorum uxores fuerint, quæ omnino cum eorum viris expellantur. Quolibet anno Nobis, vel viro a Nobis deputando, fidelem eleemoſynarum perceptarum reddant computum, & rationes. Ex iis partim pro eorum victu, & veſtibus, partim pro domuum, Eccleſiarumque manutentione applicare curabunt. Mundæ ſint eorum domus, & Eccleſiæ nitida ſupellex.

§. III.

§. III.

Chistianæ Doctrinæ, Pœnitentiæ, Eucharistiæque frequentatio, ac SS. Rosarii recitatio inculcatur.

QUolibet die Dominico in propriam Parochialem Ecclesiam ad Doctrinam Christianam addiscendam, ut magis magisque instruantur, conveniant. Ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ semel saltèm in mense, & in diebus solemnioribus, ad fidelium ædificationem, accedere teneantur. Sertum Beatissimæ Virginis de Rosario, saltèm quoad tertiam partem, quotidie, ejusque Litanias devotè ante cubitum recitent.

§. IV.

Civitatem quolibet anno, ut statum quisque suæ Eremi deferre possit, Episcopo se præsentaturi, petere teneantur Eremicolæ.

QUolibet anno, tertia die post Dominicam Pentecostes Eremicolas omnes coram Nobis convenire mandamus: eorum indigentias, ac statum Ecclesiæ, & domus, quas incolunt, Nobis referre debeant, ut iis opportunè providere possimus, postquam sacra Communione in nostra Missa refecti fuerint. Quisque eorum nostris hisce mandatis pareat, aliàs graviter punietur.

TIT. XVII.


De Religiosis Domibus, ut Episcopo sint subjectæ.

CAP. I.

Locorum Piorum Administratores ab Episcopo eligendi, vel confirmandi: juramentum de fideliter administrando præstare tenetur, nec quidquam quoquomodo commodare, alienare, aut mutuare audeant; sicuti nec pecuniam sub anathematis pœna in proprios usus convertere.

BOna locorum Piorum Ecclesiasticorũ, quæ ad pauperes alendos, & alia pietatis munera exercenda Christi fideles jam inde a nascentis Ecclesię incunabulis in commune conferre consueverunt, summa fide & diligentia administranda esse, nec in profanos usus effundi posse, Sancti Patres, & sacrosancta Concilia constanti sententia semper affirmarunt. Hinc Sedes Apostolica nunquam desistit anathemate percutere sacrilegam illorum inhumanitatem, qui hujusmodi bona, vel negligenter administrando, vel impiè disperdendo, Ecclesiæ, vel pauperum subtrahunt necessitatibus. Quamobrem Nobis, quos supremus Paterfamilias præposuit suæ hereditatis custodię, omni ratione curandum est, ut illius indemnitati consulamus, ne & Ipsi in die Domini negligentiæ damnemur, si desides incitare, ignorantes instruere, rapacibus iter præcludere desistamus. Decla-

claramus igitur Œconomos, sive Procuratores, aut quocunque alio vocentur nomine locorum Piorum Ecclesiasticorum Administratores, a Nobis eligi, vel confirmari debere, juxta observantiam, quæ in hac Diœcesi semper viguit, & viget, qui juramentum præstare teneantur de fideliter administrando, rationes Curiæ nostræ Rationali reddendo, prout usq; adhuc fuit semper observatum, in qua possessione Curia nostra reperitur. Electi pro administratione locorum Piorum Ecclesiasticorum, in ea non se ingerant absque nostra licentia, & præstito priùs juramento prædicto, sub pœna privationis ipso Jure, absque alia declaratoria. Bona cujuscunque qualitatis Nobis irrequisitis Administratores prædicti alienare, mutuare, aut commodare non præsumant, sub pœna nullitatis actus, & aliis nostro arbitrio: nec pecunia, aut alia re locorum Piorum Ecclesiasticorum utantur supradicti Œconomi, aut in proprios convertant usus, sub Excommunicatione latæ sententiæ. Expensæ pro Ecclesiarum reparatione, ornamento, & sacris supellectilibus emendis, infra decem ducatos fiant cum licentia Archipresbyteri, aut Supraintendentis; ultra, requiratur nostra licentia in scriptis, quæ gratis dabitur, juxta aliàs sancitum per nostros Prædecessores.



C A P. II.

Ubique nostræ Diœcesis locorum Capsa infra mensem construenda cum tribus Clavibus, ad pecuniæ, & pignorum conservationem: item adsit Liber, in quo ipsius pecuniæ ratio annotetur; & pecuniarum summam, quæ ex Capitalibus Piorum locorum pervenerit, in prædicta Capsa reponendam, Excommunicatione Administratoribus proposita, demandatur.

UT autem evitetur pecuniæ in proprios usus, aut etiam in aliorum conversio, cum magna locorum Piorum Ecclesiasticorum jactura; districte mandamus, ut in qualibet nostræ diœcesis Terra, aut Civitate fiat sua Capsa cum tribus Clavibus, in qua reponantur pecuniæ, quæ tam ex Capitalibus, quàm ex quacunque alia causa ad loca Pia Ecclesiastica pervenerint: in ea adsit Liber, in quo adnotetur omnis pecuniæ ratio, cum expressione nominis, a quo inferatur, qualitas monetæ, dies, mensis, & annus, ex qua causa pervenerit. Quod observari etiam in exitu dictarum pecuniarum præcipimus, nempe, ut in eadam Capsa reponantur pignora, apochæ, chirographa cujuscunque generis, fides bancales, & similia, sicuti usque adhuc fuit observatum. Capsa detineatur per Rev. Archipresbyterum loci, ni aliud Nobis videbitur, & Claves duæ a Procuratoribus dictorum locorum Piorum, & tertia a Persona a Nobis destinanda. Utque executioni hoc nostrum Synodale Decretum demandetur, sub pœna Excommunicationis Administratoribus hujusmodi locorum Piorum injungimus

mus, ut infra mensem confici curent dictã Capsam cum tribus Clavibus. Subque eadem Excommunicationis pœna iisdem præcipimus, ut quæcunque pecuniarum summa, quæ ex Capitalibus perveniet, sive ex aliis casibus supra ducatos quinque, licèt ex variis partitis fuerit collecta, infra duos dies in prædicta Capsa reponatur, ex qua nihil extrahatur absque nostra licentia, quæ gratis dabitur.

CAP. III.

Ad omnem fraudis suspicionem evitandam, quid circa fœtum animalium, & frumenti venditionem ad loca Pia pertinentium efficiendum, præscribitur.

A Viris fide dignis audivimus nonnullas fuisse commissas fraudes ab Œconomis Piorum locorum Ecclesiasticorum tam in animalium fœtus occultando, quàm in venditione frumenti; vendunt enim frumentum in suum beneficium cùm pluris valet, quod postea sub prætextu fuisse mutuatum, reponunt in horreis loci Pii æstivo tempore, in suam utilitatem convertendo quidquid pluris venditur frumentum, cùm ut plurimum hiemali, & verno tempore pluris valet, quàm æstivo, & post triturationem. Volentes Nos tam gravi scandalo ex nostro Pastorali debito occurrere, mandamus, ut fœtus vaccarum post mensem signentur in auribus, & post annum in maxilla, & femore, quod in praxim reduci volumus in agnis, qui signentur in auribus post mensem a nativitate, & in facie dum ablactantur. Frumentum non mutuetur, nisi locus Pius tutus remanebit: & Œconomus post mutuationem, Vicario Foraneo loci,

loci, aut Archipresbytero, ubi ille non eſt, aut Supraintendenti conſignet notulam & quantitatis frumenti mutuati, & perſonarum, quibus eſt mutuatum, quam Rationali noſtræ Curiæ exhibere debebunt.

C A P. IV.

Quiſque locorum Piorum Adminiſtrator infra quatuor menſes Inventarium Bonorum conficere, atque in Epiſcopali Archivo exhibere teneatur.

Quoniam ſepenumero Plateas, atque ſolemnia Inventaria omnium ſtabilium, mobilium, & ſemoventium, ad dicta loca Pia pertinentium, juxta Apoſtolicas Sanctiones confici mandavimus, quæ uſq; adhuc, cum maximo animi noſtri dolore, non ab omnibus eſſe confecta percepimus, jubemus, ut infra quatuor menſes a publicatione pręſentis Decreti, quam dilationem ex gratia indulgemus, præſentare quiſque Adminiſtrator, aut Procurator eorumdem locorum Piorum, & Cleri, & Beneficiarii prædicta ſolemnia Inventaria, & Plateas in noſtra Cancellaria, eaſque decimo quoque anno renovare, & copiam authenticam in noſtro Archivo exhibere teneantur.




CAP.

CAP. V.

Supradictum Decretum ad Ecclesias Conventuales, & Receptitias quascunque extenditur: quibus, ut Statuta infra sex menses efforment ab Episcopo approbanda, injungitur.

ECclesiarum Conventualium, sive Receptitiarum Collegiis, quæ velut corpora membris compacta, suis legibus vivere, suisque regulis nutriri, & conservari oportet, ut antiqua, si quæ habent, Statuta, & Capitulares Constitutiones depromant, mandamus, & ubi non adsunt, sex infra alios menses Collegia prædicta, uti in nostro Edicto fuit statutum, & hanc proinde ex indulgentia dilationem concedimus, sub Ecclesiastici Interdicti pœna omnino conficiant, & Nobis exhibere teneantur, ut ea accuratè examinemus, corrigamus, si opus habeant, atque approbemus. In his efformandis Statutis, Ecclesiarum Origines, Fundationes, Jura, Consuetudines, Reditus, Onera, & Munera suis sub capitulis distinctis exprimantur, nihilque in eis sit, quod a Juris dispositione, & Congregationum Decretis, usuque recepto & approbato exorbitet.



TIT.

TIT. XVIII.

De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus.

CAP. UNIC.

Cathedraticum Episcopali honori debitum, statuta die, quicunque tenentur, solvere non omittant.

CUm omnes hujusce Diœcesis Beneficiarii cum cura, aut sine ea, aliique, qui de Jure, & consuetudine nostram Cathedralem in Festo Sanctorum Christi Martyrum Nazarii, Celsi, & Victoris, hujus Civitatis, & Diœcesis Patronorum visitare, Nobisque, & Successoribus in prædicta die Censum Cathedraticum in signum honoris, & subjectionis Cathedræ Pontificalis solvere teneantur; sancimus ideo, ne quisquam ex antedictis Beneficiariis, aut ex iis, qui ad Cathedralem visitandam, Censumque solvendum de Jure, aut consuetudine sunt obligati, nisi legitimo impedimento per Procuratorem legitimando retineatur, sub pœna ducatorum sex, deficiat.



TIT.

TIT. XIX.

De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

CAP. I.

Ecclesiarum, & Altarium consecratorum Elenchi cum dotis, seu reparationis notitia referuntur in Appendice.

ECclesias, & Altaria a Nobis usque adeò tam in Civitate, quàm in Diœcesi nostra respectivè consecrata in Appendice duplici Elencho, ut, quibus reparatio incumbit, innotescat, referenda decrevimus.

CAP. II.

Celeberrimæ Montis Cassini Ecclesiæ Consecrationem unà cum Ss. D. N. Benedicto PP. XIII. Episcopum perfecisse commemoratur.

vide eius in Appendice pagina 196 =

CUm Sanctiss. D. N. BENEDICTUS XIII. Pont. Opt. Max. in suo e Civitate Beneventana ad Urbem reditu Cassini Montis Ecclesiam cum ipsius Ara Majori sacris dignatus esset Ritibus initiare, Nos honoris hujusmodi etiam participes fuimus; nam simul cum Eminentissimo & Reverendissimo Domino Michaele Friderico S. R. E. Presbytero Cardinali de Althann, Episcopo Vaciensi, ac hujus Regni Prorege, & Illustrissimis ac Reverendissimis DD. Angelo Maria Quirino

Corcyrensi, & Nicolao Maria Tedeschi Apameno Archiepiscopis ex Cõgregatione Cassinensi Ordinis S. Patris Benedicti, sacris functionibus ad Ecclesię Dedicationẽ spectantibus Pontificaliter assistentes, Consecrationẽ præfatam unà cum Ss. Patre absolvimus. Ne tanti honoris Nobis elargiti in posterum memoria evanescat, monumentum in Appendice jussimus referendum; in qua item unius a Nobis Altaris in eadem Ecclesia absolutæ Dedicationis notitia pariter annotatur.

+ pag: 196

C A P. III.

Aliarum Ecclesiarum a diversis Antistitibus peractæ Consecrationes in Appendice exhibentur.

Ecclesiarum trium cum totidem Altaribus, quarum tantùm monumenta reperiuntur, a diversis Episcopis consecratarum, ut memoria conservetur, etiam in præsentis Synodi Appendice Catalogum jussimus adducendum.



TIT.

TIT. XX.

De Celebratione Missarum, Sacramento Eucharistiæ, & Divinis Officiis.

CAP. I.

Sacramentorum administratio omnem Parochorum curam & diligentiam requirit.

CUm humana natura, primi Parentis depressa lapsu, passim præceps ferretur, tanta fuit Filio Dei clementia, ut delapsus e cœlo, humanam formam induere voluerit, & carne tectus, acerbissimæ sese morti exposuerit, quò sanguine suo ab animabus nostris durissimum jugum æternæ depelleret servitutis. Suis enim laboribus quietem, sua servitute libertatem, sua denique morte vitam nobis omnibus comparavit. Verùm infinitas hasce Redemptionis nostræ divitias non nisi per Sacramenta nobis conferri Deus ipse præscripsit; sive enim erumpendum est e caliginosissimis illis Satanæ ergastulis, in quæ primi Parentis labes nos detrusit; sive actualis peccati jugum excutiendum sit, sive denique ad excitandos inflammandosque torpentes nostros animos adversùs inimicorum insidias cœlestes vires augendæ sunt, Sacramentis opus est. Quapropter si quæ alia doctrinæ Christianæ pars Pastoris scientiam diligentiamque desideret, Sacramentorum profectò disciplina est omni cura, studio, & contentione arripienda, ut eorum accurata & frequenti administra-

tione Christi fideles eos capiant fructus, quibus Deus semetipsum ex augustissimo illo Majestatis suæ fastigio demittendo, sesequè accommodando ad humanæ conditionis humilitatem, voluit genus humanum cumulatissimè adornare, & Sacerdotes divini Interdicti minas valeant effugere: *Nolite Sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis.*

CAP. II.

Ad sacratissimæ Eucharistiæ frequentem perceptionem Plebes sibi creditas Parochi non desinant incitare.

CUm multa inflammati erga genus humanum amoris argumenta Deus præbuisset, tum nihil admirabilius, nihilque, quod nostros animos vehementiori possit amore devincire, quàm sanctissima Eucharistiæ institutio, qua nobis licet Dei Filium non solùm intueri, admirari, adorare, sed etiam demittentem semetipsum ex augustissimo illo Majestatis suæ fastigio nostris visceribus haurire. Quapropter sicut ex omnibus sacris mysteriis, quæ Christus Salvator noster nobis commendavit, nullum est, quod cum Eucharistia possit comparari, sic etiam nunquam immaniori obstringimur scelere, quàm si res tantæ sanctitudinis plena, non ea, qua necesse est, sanctitate tractetur. Parochi igitur, animarum Rectores, Concionatores ita Christi fideles ad frequentem hujus Sacramenti usum inflamment, ut cum cibo prorsus divino divinam quoque vivendi rationem conjungendam esse demonstrent.

CAP.

CAP. III.

In festiva Corporis Christi Supplicatione omnis apparatus, qui sacer non sit, sub Anathematis pœna prohibetur.

IN solemni Processione ab Ecclesia Catholica in festivitate Sanctissimi Corporis Christi instituta, in qua sub panis speciebus Christus defertur, omnem paratum, qui Gentilitatis redolet superstitionem, sub Excommunicationis pœna interdicimus, sicuti per Nos auctoritate nostra ordinaria jam abolitus fuit quidam abusus, qui in quodam nostræ Diœcesis Oppido inolevit. Non solùm igitur similis abusus, & cæcæ Gentilitatis vestigia, verùm & quascunque repræsentationes, & spectacula, sive alias machinas ante Processionem, aut quà incedit Processio, omnino removeri districtè præcipimus: & in omnibus servari Edictum super hac re emanatum anno 1725.

CAP. IV.

Qui præcepto de communicando Paschali tempore non satisfecerint, a Parochis ad Episcopum deferendi, ut debita pœna coerceantur. Tempus hujusmodi satisfactionis quodnam sit declaratur: & quinam a sacra Mensa arcendi enumerantur.

CUm omnes Christi fideles, qui ad discretionis annos pervenerè, ad sacram Synaxim accedere teneantur, invigilet proinde Parochus, qui ipse per se oves suas hoc cibo cœlesti reficiat, an hoc Ecclesiæ pre-

ceptum ab omnibus adimpleatur, ut contra contumaces ad Ecclesiasticas pœnas, Nobis consultis, procedere valeat. Qui tempore prædicto, quod a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusivè extenditur, alibi propter absentiam a loco domicilii Communionem receperit, teneatur, cùm redierit, proprio Parocho attestationem peractæ Communionis ostendere, cui an fides sit adhibenda necne, pro prudentia sua atque conscientia judicabit. Et quoniam aliqui data opera, ut proprii Parochi judicium effugiant, a sua Parochia hoc tempore absunt; mandamus iccirco, ut nulla attestationis Communionis alibi factæ habita ratione, post reditum, ad præcepti adimplementum in propria Ecclesia teneantur; nisi fortè per octo continuos dies ante feriam quintam in Cœna Domini absfuerint. Sedulò præterea caveant Parochi, ne indiscriminatim ad sacram Communionis Mensam admittant quascunque personas, cùm omnino excludendos esse oporteat publicè Excommunicatos, Concubinarios, Meretrices, Blasphemos, Maleficos, Usurarios publicos, itemque publicè Criminosos, eos insuper, qui in odio proximi cum scandalo perseverant, necnon Conjuges simul cohabitare absque legitima causa renuentes, nisi priùs certum pœnitentiæ signum dederint.



CAP.

CAP. V.

In sacrosancti Missæ Sacrificii celebratione, quod maxima mentis puritate est peragendum, tam quod animi munditiem, quàm quod statas preces, ritus, & vestes respicit, advertitur: & Sacerdotibus omnino observandum inculcatur.

SAcrosanctum Eucharistiæ Sacramentum non solùm est cœleste animabus nostris alimentum, quo defatigatas, ac penè collabentes animæ vires reparare, & tueri possimus; sed perpetuum etiam Ecclesiæ Sacrificium, quo peccata nostra expientur, & cœlestis Pater nostrorum sæpe scelerum atrocitate offensus, ab ira ad misericordiam, a justæ animadversionis severitate ad clementiam traducatur. Cùm enim Salvator noster, ut spoliaret inferos, & cœli valvas suo sanguine recluderet, Deo Patri semetipsum in Ara Crucis esset oblaturus, nullam potuit suæ inflammatæ erga nos caritatis illustriorem dare significationem, quàm cùm nobis visibile Sacrificium reliquit, quo Cruentum illud in Ara Crucis paulò pòst semel immolandum instauraretur, ejusque memoria ab Ecclesia in universum terrarum orbem diffusa quotidie coleretur. Propterea Sacerdotes sanctissimum Missæ Sacrificium facturi, quo Deo Patri reconciliamur, omnem dent operam, ut quanta maxima fieri possit interiori cordis munditia atque puritate, & exteriori devotionis & pietatis specie ad tremendum hoc Mysterium accedant. Et ob id excutiant sæpius omnes conscientiæ suæ latebras, & si pecca-

to

to aliquo lethali fœdatos esse contigerit, confiteantur; nec putent Contritionem, quamvis maximam, sine Sacramentali Confessione sibi suffecturam, cùm is præsertim in promptu sit, cui peccata valeant confiteri.

Animadvertant autem, & caveant omnes Sacerdotes, ne festinanter & perturbatè Missas celebrent, & non quasi ex consuetudine; sed alta quadam animi attentione defixi, distinctè, sedatè, tranquillè, ac leniter, ut spiritualem, ac divinam rem agi omnes Christi fideles cognoscant. Et antequam ad celebrationem accedant, privatim priùs omnia in Missali perlegant, & singulas partes Missæ ita præparatas, & notatas habeant, ne celebrando, errandi periculum subeant, precesque piè dicant ante Missæ initium præscriptas, ac priùs se colligant, & mentem in tanti Mysterii cogitationem defigant, ut ex propitiatorio illo Sacrificio uberiores fructus ipsi Sacerdotes, & Fideles eliciant.

Sacerdotes omnes in Missa peragenda nihil addant, nihil detrahant, atque immutent, sed omnia ad præscriptum Missalis observent, statutisque Cæremoniis jam comprobatis utantur, cùm ritus omnes, qui ad hoc Sacrificium adhibentur, sint maximè insignes, nullusque eorum sit inanis & supervacuus.

Sacris vestibus induti, & ad Missam celebrandam præparati neminem alloquantur, neque loquentibus attentas præbeant aures, mentem, & oculos ab omnibus amoveant, a quibus distrahi possunt, & cùm ad Altare eundum est, tunc graviter & decorè fiat, oculis demissis, moderato & composito incessu, & non festinanti, & incomposito. Neque tardiùs, neque velociùs, quàm decet, tantum opus agatur. Qui verò in tanta re negligenter se gesserint, pœna etiam suspensionis,

sionis, præter alias, puniantur. Congruum enim est, ut ea Mysteria non attingant qui indignè tractare non exhorruerint. Peracto Missæ Sacrificio, debitas Deo gratias Sacerdotes reddant.

C A P. VI.

Missæ celebrandæ Sacerdotibus hora datur. Si exteri, sine Dimissorialibus Literis ad celebrandum ne admittantur.

Ante auroram, vel post meridiem Missæ nullatenus celebrentur. Sacerdotes exteri ad celebrandum, ni priùs eorum Literis Dimissorialibus a Nobis, vel nostro Vicario Generali recognitis, si fuerint in loco nostræ Residentiæ; sin verò, a Vicariis Foraneis, ubi adsunt, & alibi ab Archipresbyteris, non admittantur, sub pœna arbitraria contra Rectores Ecclesiarum; sicuti nec Sacerdotes Diœcesani, qui per sex menses extra Diœcesim moram duxerunt, absque attestatione, eos non esse inquisitos, aut Censura aliqua innodatos, illius Ordinarii, in cujus Diœcesi permanserunt. Hujusmodi prohibitionem ad Monasteria Regularium, Decretis S. Congregationis inhærentes, sub pœnis in ipsis statutis, extendimus, & observari volumus, & mandamus.



M CAP.

C A P. VII.

Quibus diebus in privatis Oratoriis celebrare non liceat: & quæ Missæ ibidem peragi possint, explicatur.

IN Oratoriis privatis diebus quibusdam solemnioribus, ex Decreto Sacræ Congregationis, non celebretur, sub pœna arbitraria contra celebrantem, & Interdicti Oratorii. Hujusmodi verò sunt: Dies festi Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Annuntiationis, & Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & Omnium Sanctorum, quibus Nos hoc Synodali Decreto adjungimus Festum Circumcisionis, Ascensionis Domini, Corporis Christi, sancti Joseph, Nativitatis sancti Johannis Baptistæ, & sanctorum Martyrum Nazarii, Gelsi, & Victoris, hujus Civitatis & Diœcesis Patronorum, nisi aliud in Indulto, Nobis exhibendo, fuerit expressum, vel a Nobis dispensatum. Familiares illius, cui tale Indultum concessum est, admonemus, ipsos, si tēpore Missæ necessarii non erunt, præcepto Ecclesiastico Missam audiendi in prædicto Oratorio minimè satisfacere. Unica tantùm Missa in Oratoriis prædictis, non autem solemnis, aut cum cantu, sub pœnis antedictis, celebretur, nisi aliter fuerit in Indulto expressum. In eo ad celebrandum non admittantur exteri, neque Regulares absque nostra expressa licentia. Hujusmodi Oratoria privata decenter teneantur ornata, & in loco decenti, aliàs remaneant interdicta, licèt perpetua ab Antecessoribus nostris fuerint declarata: sicuti munda & nitida sit sacra supellex, & adimple-

an-

antur Decreta occasione Sanctæ Visitationis emanata.

CAP. VIII.

Onerum Missarum Tabella in omnibus Sacristiis habenda. Item Liber, ab unoquoque Sacerdote exhibendus, votivarum, & manualium Missarum cotinens satisfactionem. Missarum autem onera sine Episcopi licentia nequeunt acceptari.

IN qualibet Sacristia adsit muro appensa, & omnium oculis obvia Tabella omnium onerum Missarum, & Anniversariorum in charta pergamena descriptarum, cum distinctione capitalium, & redituum, qui ex iis percipiuntur, & unde pervenerunt, cui Altari, & diei sint addictæ, sub pœna ducatorum sex. Item in qualibet Sacristia adsit Liber bene compactus, in quo Sacerdos Missas describat. Insuper quibuscunque Sacerdotibus præcipimus, ut quisque Librum particularem habeat, in quo Missas votivas, & manuales, quas celebraverit, describat, in Sancta Visitatione præsentandum, & jurejurando, si opus fuerit, confirmandum; in quo etiam adnotent tempus, & locum celebrationis, a quo Missas, & quam receperint eleemosynam. Onera Missarum perpetuarum, sicuti & Anniversariorum non acceptentur absque expressa nostra licentia in scriptis obtinenda, sub pœna Interdicti ab ingressu Ecclesiæ.

C A P. IX.

Honorarium Missas celebrantibus statuitur: earum dilatio prohibetur : & Parochi certis diebus pro suis ovibus applicare tenentur.

Eleemosyna manualium Missarum in hac Diœcesi est unius caroleni. Missæ perpetuæ planæ elemosyna non sit minùs duorum carolenorum, cantatæ carolenorum decem. Missæ, quæ certis diebus sunt addictæ, nullatenus ultra duos menses differantur. Parochi saltèm diebus festis pro populo celebrare teneantur, ni fructus eorum Paræciæ erunt pingues, quo casu quotidie, ut per Sacram Congregationem fuit decretum.

C A P. X.

Qui Seculares ad Missæ servitium non admittendi.

Laici incapaces, immorigeri, sordidi, aut petulantes a servitio Missæ omnino excludantur; indignum quippe videtur, similes personas tanto ministerio inservire, prout usque adhuc, sive hominum incuria & improbitate, sive temporum vitio, cum derisu, & non sine dedecore dignitatis ac sanctitatis Sacrificii, hujusmodi abusus irrepsit.



CAP.

CAP. XI.

Priusquam ad celebrandum prima vice admittantur, licentiam impetrent Neomystæ. Abusum, qui super hoc irrepserat, penitus tollendum edicitur.

SAcerdotes nostræ Diœcesis pro prima celebranda Missa a Nobis, uti usque adhuc consuetum est, facultatem obtinere debent, quam, nisi peractis coram Deputato Cæremoniis, nullatenus dabimus. Iis omnino, ut in prima nostra Synodo Cap. 2. de Celebrat. Missar. prohibemus, ne in primæ celebratione Missæ Clerus Superpelliceis indutus ad domum ipsius novelli Sacerdotis se conferat, ibique cum vestibus Sacerdotalibus ornatum excipiat, & ad Ecclesiam deducat, sicuti & interdicimus choreas, aliaque similia occasione hujus sacræ functionis.

CAP. XII.

Choralis Disciplinæ observantia commendata, Edictum de ipsa publicatur in Appendice; in qua item Tabella Horaria, ad amussim omnimodè observanda.

QUamplurimis in Ecclesiis hujus nostræ Diœcesis Officium Canonicum in Choro, alibi ex onere, ex laudabili consuetudine alibi, aut devotione, ut in Sanctis Visitationibus peractis comperimus, recitatur. Nos igitur tam sanctam & laudabilem consuetudinem approbamus & confirmamus; omnibus tamen,

qui

qui Horis Canonicis persolvendis in Choro conveniũt, solummodo suggerimus, & in Domino hortamur, ut collectis animis, quoad fieri potest, debitum pensum absolvant, nec ita se habeant, ut dum voce psallunt, quodlibet aliud potiùs, quàm Deum animo revolvere videantur. Grave admodũ est quod in Scripturis legitur, *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.* Statuimus proinde, ut laudes divinæ non cursim & festinanter, sed tractim, servato debito intervallo, attentè, devotè, & alacriter absolvantur, nequaquam in altum sublato clamore; & nullus tunc temporis, sive Dignitas, sive Canonicus, Mansionarius, vel quilibet alius, qui in Choro assistere debet, a sua propria sede moveatur, ne potiùs confusio, quàm devotio, & gravitas resultet. Nullus item, dum Canonicæ preces in Choro recitantur, audeat aliquid privatim legere, sed concinat, & unà cum fratribus Deum honorificet: contrarium faciens, punctetur tanquam absens. Quod uberiùs in Edicto Appendici adjecto statuimus declarandum. Et ad tollendas querimonias, quæ in dies circa recitationis Officii, & Missæ cantandæ horam oriuntur, statuimus, ut Tabella Horaria, quæ in Appendice dabitur, ad unguem observetur.

C A P. XIII.

Consecrationis Ecclesiæ Cathedralis Officio dies proprius assignatur.

Officium Consecrationis nostræ Cathedralis Ecclesiæ celebretur per totam Diœcesim, quod a Nobis ipsa die solemnis Consecrationis in præterito anno 1726.

1726. peractæ, fuit assignatum Dominica tertia Octobris. Commemorationem Sanctorum Martyrum Nazarii, Celsi, & Victoris, hujus Civitatis & Diœcesis Patronorum & in Missa, & in Horis Canonicis, dum Suffragia recitantur, fieri volumus, & mandamus, sicuti eorum Officium cum Octava.

CAP. XIV.

Gregorianum Cantum callere Ecclesiastici, præcipuè qui ad sacros Ordines sunt provehendi, adstringuntur. Libros Chorales comparandos edicitur. Locus in functionibus a quolibet suo ordine tenendus: Episcopo debitum nullus occupare præsumat. Punctatoris munus commemoratur.

QUoniam Cantus Gregoriani ignorantia valde Ecclesiastico viro indecens est, unde derisiones, & non concentus emanant; statuimus iccirco, ut nullus posthac ad sacrum Subdiaconatus Ordinem promoveatur; nisi inter ejus ordinationis requisita proferat testimonium, sese in Gregoriano Cantu exercuisse, & in eo nõ mediocriter profecisse. Adscriptus verò alicui Ecclesiæ, in qua onus recitandi in Choro divinum Officium inest, Gregorianum Cantum addiscat sub pœnis nostro arbitrio: excipientes ab hoc onere seniores. Unaquęque Ecclesia Libros ad Chorum pertinentes, nimirum, Graduale, Psalterium, Antiphonarium, & Martyrologium sibi comparet. In Processionibus, Funeribus, aliisque Ecclesiasticis functionibus quisque suum lo-

locum obtineat juxta Ordinis gradum, nulla habita ratione Doctoratus prærogativæ. Sedi Episcopali, quæ in aliquibus Choris sita est, debitus præstetur honor, ita ut a nemine, nisi ab Episcopo, ea occupetur. Punctatores quolibet anno duo eligantur, unus a Nobis, alter a Capitulo, aut Clero, qui juramentum in nostra Curia emittere teneantur, se fideliter, & absque personarum acceptione suum munus ptæstituros. Absentes in libro ad hanc rem peculiariter destinato adnotabunt, & quolibet mense super hac re secum conferant.

C A P. XV.

In Defunctorum Missis, ac tempore Adventus, & Quadragesimæ Organi sonus prohibetur.

Hoc [illegible] in Concilio Romano an: 1725. [illegible]

PRohibemus, ne in Missis Defunctorum, diebusque Adventus, & Quadragesimæ, festis dumtaxat exceptis, Organa pulsentur, nec aliud quodvis musicum instrumentum adhibeatur; excipimus etiam Dominicam Adventus tertiam, dictam, *Gaudete*, & quartam Quadragesimæ, nuncupatam, *Lætare*, in quibus diebus permittimus Organa pulsari in Missa tantummodo Conventuali.



CAP.

CAP. XVI.

Sacrarum Cæremoniarum Magister in qualibet Conventuali Ecclesia adesse præcipitur, qui Clericos iisdem imbuat.

IN qualibet Ecclesia Parochiali, sive Conventuali adsit Cæremoniarum Magister, ut sacræ functiones debito peragantur ordine, & decore, cujus onus erit Clericos in sacris Cæremoniis instruere semel saltèm in hebdomada, intus Ecclesiam, vel Sacristiam. Si quis Clericorum recusaverit, Nos reddat certiores, ut detrectantes condigna compescamus pœna. Prædicto Cæremoniarum Magistro prompta præstabitur obedientia in illis, quæ ad ejus munus pertinent; & in solemnioribus festivitatibus in Sacristia notula omnium Ministrorum cum pœna contra inobedientes affigatur.

CAP. XVII.

Ecclesiastici servitio alicujus Ecclesiæ adscripti, inservire illi tenentur, præcipuè diebus festis; & in omnibus functionibus sua munia cum gravitate ac decore obire non prætermittant.

CLerici, sive in minoribus, sive in sacris constituti Ordinibus, etiam prima Tonsura initiati, festivis diebus prestò sint Ecclesiæ, cujus servitio fuerint adscripti, & tam Missæ solemni assistant, quàm privatis inserviant; cæteris verò diebus assistere teneantur juxta Tabellam in Sacristia de nostro ordine affigendam,

ſub pœna carceris pro prima, & ſecunda vice; & pro tertia, privationis habitus. In Proceſſionibus, Funeribus, aliiſque Eccleſiaſticis functionibus ſervetur gravitas, devotio, & reverentia, ut Cleri exemplo ad modeſtiam, & amorem erga Deum populus excitetur: nec illæ fiant ante ſolis ortum, vel poſt crepuſculum, maximè extra Oppida, & Civitates, aliàs contrafacientes graviter punientur. Clerici cujuſcunque ordinis in Proceſſionibus peragendis operto capite procedant, neminem ſalutent, nec etiam caput inclinando: oculorum propterea vagationem vitare debent.

TIT. XXI.

De Baptiſmo, & Confirmatione.

CAP. I.

Animarum Rectores per ſeipſos Baptiſma adminiſtrare, niſi neceſſitas adſit, admonentur: idque non domi, ſed in Eccleſia: nec ultra horas viginti quatuor differatur. Si obſtetrices adhibeantur, inſtructæ prius, & cum licentia id efficiendi admittantur.

CHriſtus Soſpitator noſter defunctus nobili illa ſervandorum mortalium provincia, univerſum genus humanum tanta neceſſitate ad Baptiſmi Sacramentum ſuſcipiendum adſtrinxit, ut ſine eo, vel in re, vel in voto, nullo pacto ad cæleſtem patriam poſſit aſpirare. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt*

test introire in regnum Dei.(a) Quare Pastores animarũ, si unquam aliàs, in hujus Sacramenti administratione omnẽ operam, omne studium non pigeat collocare, atq; illud in primis animadvertendum, ut ad Ritualis Romani præscriptum per seipsos, nisi legitimè fuerint impediti, non per aliòs administrent, & in Ecclesia semper, non autem in privatis domibus, aut Oratoriis absque nostra expressa licentia, ni aliud necessitas exigat, sub pœnis nostro arbitrio: nec ultra viginti quatuor horas differat, sub iisdem pœnis. Si necessitate impellente, ab obstetrice, aut alia persona privata domi fuerit aliquis baptizatus, alios ritus, ac cæremonias ab Ecclesia præscriptas suppleri non negligatur. Obstetrices verò suum munus exercere, ni priùs a Parocho proprio fuerint super materia & forma Sacramenti Baptismatis, ac intentione Ministri instructæ, atque examinatæ, & a Nobis, præcedenti Parochi attestatione, licentiam habuerint, haud posse mandamus.

C A P. II.

Expositis Baptisma quomodo conferendum.

EXpositi, si nulla aderit de eorum Baptismo conjectura, vel argumentum, absolutè, & absque conditione ulla baptizentur; si verò probabilis, veluti per bullam, sive schedulam collo, aut alia corporis parte appensam, in qua recepisse Baptismum sit scriptum, appareat conjectura, sub conditione hoc in casu baptizentur. Uti etiam sub conditione baptizetur Infans ab obstetrice, aliave privata persona baptizatus, si de illius Baptismi validitate dubitari contigerit.

a *Johan.* 3. 5.

CAP. III.

Baptizandorum Catechiſmus, ni neceſſitas aliud ſuggerat, ad Eccleſiæ januam peragendus.

CUm ex Ritualis Romani præſcripto Baptizandorum Catechiſmus ad Eccleſiæ januam, ex eo quia Baptiſmus omnium Sacramentorum eſt janua, peragi mandetur; omnibus iccirco Parochis ritum ſupradiſtum obſervare omnino præcipimus, niſi fortè pluvia, aut vehemens tempeſtas aliud cogat;quo caſu intra Eccleſiam, ſed januis clauſis,in limine,uſque ad illud verbum *Ingredere*, ſtetur: tunc foribus apertis ad Baptiſterium adeatur.

CAP. IV.

Baptiſmales Fontes ſolemniter in Sabbatis Paſchæ,& Pentecoſtes benedicendi.

FOns Sacer,& Regenerationis Sacrarium in utroque Sabbato ante ſacratiſſimum Paſcha, & Pentecoſten ſolemni ritu benedicatur, ſacrumque Baptiſma tunc ſolemniter miniſtretur; quod utrumque per Nos in noſtra Cathedrali, Deo favente, peragetur. Quapropter Infantis Baptiſma,qui in hebdomada ante Fontis benedictionem in lucem editur, niſi vitæ periculum adſit, uſque ad dictam diem differatur, qua ſolemniter conferatur.

CAP. V.

Patrinorum qualitates Infantes suscipientium perpenduntur.

AD Patrini officium in Baptismo Parochi non admittant ultra duos, Marem unum, Feminam alteram, sub pœna arbitraria: nec qui essentialia Fidei nostræ mysteria ignoraverint; alienum enim ab omni ratione est, qui se Deo fidejussores constituunt, illa eos nescire, de quibus se alios erudituros esse sanctæ pollicentur Ecclesiæ. Nec in Baptismo insuper susceptor sit, qui sacro Chrismate non est confirmatus, quod studiosè Parochi antè perquirant: neque Regularis aliquis, sive Monialis, cujus procuratio non recipiatur a Parocho, sub pœna ducatorum decem: nec minor quatuordecim annis.

CAP. VI.

Norma adnotandi Baptizatos Parochis proponitur: qui, ut Parentibus, ne Infantem ante completum annum in lecto retineant, sub Excõmunicationis latæ sententiæ pœna, suggerant, admonentur.

CUret Parochus statim ac Baptismum ministraverit, Baptizatum in libro, ad id specialiter destinato, describere, cum ejus Parentum nomine, & cognomine, si ex legitimo procreatus Matrimonio; vel matris tantùm, si ex vago progenitus fuerit concubitu; si verò expositus, hoc tantummodo explicetur, sicuti & su-

susceptoris nomen, & cognomen adnotetur, si fuerit domi, aut in Ecclesia Baptismus collatus, cum anno, mense, die, & hora, si possibile fiat. Liber sit bene compactus, & chartulatus, alium non habens titulum, neq; aliud in eo adnotetur; sit absque litura, interlineationibus, & similibus, & sub clave ab ipsomet Parocho retineatur. Peracto Baptismate, Parochi Parentibus, ne ipsi, aut quispiam alius Infantem ante expletum annum in lecto retineant sine convenienti repagulo, quo a suffocationis periculo cautè defendatur, denuntient; id enim, si suffocationis acciderit casus, sub Excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, interdictum eis esse mandamus.

C A P. VII.

Confirmationis Sacramenti virtutes Parochi populo inculcare non omittat. Qui ad Patrini officium sint admittendi, singillatim recensentur. Et cùm id fiat, decorè & sanctè fieri demandatur.

QUamvis per Baptismi Sacramentum in Christi militiam, tanquam strenui milites adscribamur, unde ad prælia cum humani generis hostibus acriter ineunda vires animosque suscipiamus; tanta tamen non exterorum tantùm, sed domesticorum etiam hostium, cum quibus decertandum est, multitudo nos undique obsidet, ut jam extrema omnia passuri videamur, nisi unctione misericordiæ suæ per sacrum Chrisma Deus acriores nos redderet, & vegetiores. Sic igitur ad hoc Sacramentum accedant Fideles, tanquam sumentes scutum fidei, & galeam salutis, & gla-
dium

dium ſpiritus, in quo poſſint omnia tela nequiſſimi inimici extinguere. Quare cùm hoc Sacramentum magno animarum detrimento a nonnullis vel differatur, vel omnino prætermittatur, Parochis mandamus, ut ea, qua fieri poterit, diligentia, illius utilitatem, & ſanctitatem populo non deſinant inculcare. Sanctitatem quidem, ut animæ ſordibus Sacramentali Pœnitentia expiatis, ſine procaci corporis cultu, & pompis, quas in Baptiſmo valere juſſerunt, ad illud ſuſcipiendum accedant; utilitatem verò, ne cum tanta animarum jactura differatur. Quod autem Nos manè jejuni jejunis miniſtrabimus. Et quoniam morum corruptela tantopere invaluit, ut feminæ, præſertim puellæ, ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum accedentes, eò omnes curarum & cogitationum nervos intendunt, ut comtæ capillos, & madentes cincinnorum fimbrias geſtantes, omni vanitatis luxu affluere videantur; hujuſmodi ab hoc Sacramento arcendas eſſe mandamus. Repellendos etiam decernimus Patrinos, & Matrinas nondum Confirmatos, quique decimumquartum nondum expleverint annum, quamvis majores natu ſint ipſis Confirmandis. Feminæ ad hujus Sacramenti ſuſceptionem mares ne deferant, nec e contrario viri feminas. Omnes Eccleſiaſtici, etiam Regulares, & Moniales, abſque noſtra licentia Patrinorum munus non obeant. Quo peracto examine, iidemmet Parochi Confirmandis ſchedulam cum eorum nomine, & cognomine, cujus ætatis ſint, adnotato etiam Patrini nomine, tradant. Nullus alterius Diœceſis, non obtenta proprii Ordinarii licentia in ſcriptis, ad hoc recipiendum Sacramentum Nobis ſe præſentet.

CAP.

CAP. VIII.

Liber Confirmatorum per Parochos conficiendus præcipitur.

COnficiat Parochus librum, in quo Confirmatorum nomina, & cognomina describat, qui eorum fuerint Patrini, sive Matrinæ, annum, mensem, & diem, quo eis hoc fuit Sacramentum administratum pariter adnotet; quem diligenter, & sub clave custodiat, inque Sancta Visitatione ipsum Nobis exhibere teneatur.

TIT. XXII.

De Custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum.

CAP. I.

In Parochialibus tantùm Ecclesiis St. Eucharistia asservanda. Lumen ante Tabernaculum, quæ describitur formæ, jugiter ardeat: in eoque duæ Pyxides, pro Infirmorum Communione una, pro recondenda Eucharistia altera, conserventur.

UT Sanctissima Eucharistia debita asservetur veneratione, solummodo in Ecclesiis Parochialibus eam custodire imponimus, & in Ara principe, ni aliud a No-

a Nobis fuerit decretum. Ante Tabernaculum jugiter lumen accensum teneri, ut eo modo Christianorum corda in obsequium tanti Domini caritate flagrare valeant, sub pœna arbitraria contra Sacristas, quoties lumen reperitur extinctum, mandamus. Tabernaculum decens sit, & honorificum, saltèm ex ligno deaurato, vestis interior serica sit, & alba, bene firmum, atque ex omni parte clausum. In ejus basi nihil custodiri permittimus, etiam si essent Reliquiæ Sanctorum: sua habeat serica conopœa quatuor colorum, albi nempe, rubri, viridis, & violacei, ut juxta Rubricas mutentur, vel saltèm sit unum ex quatuor supradictis coloribus contextum: duæ in eo asserventur Pyxides argenteæ, intùs auro delinitæ, una pro deferendo ad Infirmos Viatico, altera, quæ pro adoratione in Tabernaculo remaneat. Particulæ quolibet die Dominico renoventur.

C A P. II.

Sanctissimæ Eucharistiæ expositio publicam requirit causam. Si sine Episcopi, vel Generalis Vicarii licentia fiat, suspensio a Cleri Superiori incurritur; Regularium verò Ecclesiæ Interdicto subjacebunt.

SAcrosanctæ Eucharistiæ quamcunque publicam expositionem, nisi publica ex causa, a Nobis, vel Vicario nostro approbanda, prohibemus Clero seculari, & Regulari, sub pœna suspensionis ipso facto Superiori illius Cleri incurrenda, Interdicti verò Ecclesiæ Regularis, qui id attentaverit; frequens enim, & pro causa non probata expositio apud populum, qui res non ex

vero earum pretio , ſed ex raritate ſolet æſtimare, Myſterii auguſtiſſimi majeſtatem, ac venerationem imminuit. Si privata ex cauſa ſacroſancta Euchariſtia exponenda videbitur, e Tabernaculo nunquam extrahatur, ſed in Pyxide velata in aperto ejuſdem Tabernaculi oſtiolo, cum aſſiſtentia alicujus Sacerdotis Stola, & Superpelliceo induti, ſex ſaltèm luminibus accenſis collocetur.

C A P. III.

Cùm ad Infirmos Ss. Viaticum defertur, in Proceſſione Eccleſiaſtici aſſociantes conveniant. Cerei adhibeantur in eo numero, quantum fieri poterit, majori. Laternæ inſuper geſtandæ, ne lumina, ubi venti efflaverint, extinguantur. Parochi Indulgentias populo, ut frequens concurrat, Ss. Sacramentum comitantibus conceſſas enarrent.

DEferatur Ss. Chriſti Corpus ad Infirmos omni, qua decet, pompa. Præcedat ſolitum ſignum, ut populus ad Eccleſiam convenire poſſit, comitantibus Clericis, Subdiaconis, & Diaconis Superpelliceo indutis ſub pœna arbitrio noſtro. Qua de re Clerici in ſua ordinatione a Parochis teſtimonium obtinere, & Nobis exhibere teneantur. Proceſſio fiat omni modeſtia & devotione, memorantes quem aſſociant; cæteros Eccleſiaſticos monemus, & ad hanc aſſociationem hortamur. Ut autem religiosè non ſolùm, ſed & honorificentiſſimè Sacramentum deferatur, lumina præſertim a Clero, & populo comitante teneantur; cùmque ea
non

non rarò vento, aut pluvia repente superveniente extinguantur, quod incongruum sanè est, mandamus propterea, ut quatuor saltem cum suis hastis laternæ ex omni parte clausæ, & suis semper cũ intùs accensis candelis, hinc inde circa Sacerdotem, qui Sacramentum gestat, in posterum deferantur, Sacristæ interim festivo campanarum sonitu, ultra campanulam, quæ per viam ante Processionem sonando defertur, Venerabile Sacramentum associent. Moneat Parochus plebem sibi commissam, ut tanto Domino, cui millia millium, & decies centena millia Angelorum assistunt, præstare famulatum non pigeat, eamque de Indulgentiis sanctissimam Eucharistiam comitantibus a fel. recor. Innocentio XII. concessis certiorem faciat. Mares a feminis separati incedant, sanctissimæ Virginis Rosarii Sertum pro Infirmi salute recitantes, & ante Infirmi domum Lauretanas Litanias decantent, aliquo Sacerdote, aut Ecclesiastico præeunte.



T I T. XXIII.


De Immunitate Ecclesiarum.

C A P. U N I C.

In Ecclesiis omnis confabulatio, deambulatio, negotia, repræsentationes profanæ, & si quæ sunt hujusmodi, prohibentur. Ab illis, dum divina persolvuntur Officia, aut sacra Concio habetur, pueri expellantur, pœna Sacristis, nisi efficiant, arbitraria. Percutientes verò, aut aliquem in Ecclesia quomodolibet lædentes Ecclesiastico subjaceant Interdicto.

ETsi non solùm omnes, qui Christianam profitentur Religionem, sed Gentilium etiam quamplures naturali tantùm lumine ducti noverint, Deum ubique esse, nullumque excogitari posse locum, qui illius Numinis Majestate non repleatur; nemo tamen unquam in dubium revocare ausus est, Templa quædam manufacta divinis rebus obeundis peculiari nomine dicata, tantopere Deo grata esse, ut in eis, tanquam propriis ædibus, Fidelium preces faciliùs excipiat, & benignitatis suæ thesauros cumulatiùs effundat. Quamobrem inhærentes Constitutionibus Apostolicis, & Bullæ S. Pii V. incipienti: *Cùm primùm*, ad improborum hominum temeritatem compescendam, prohibemus, ne aliquis in Ecclesiis, quæ ad Majestatem Religionis præmonstrandam, & ad debitum Deo cultum ab hominibus

bus exolvendum ædificata fuat, deambulare, confabulari, & circulos facere, obscœna loqui, ridere, & alia hujusmodi agere audeat. Interdicimus in eis etiam totum id, quod indecentiam, aut irreverentiam redolet, uti secularium concilia, aut placita, aliaque negotia, sive judicia, etiam in atriis ipsarum. Repræsentationes profanæ nullatenus in Ecclesiis peragantur; sacræ verò, ni priùs a Nobis fuerint revisæ, & approbatæ. Demum, dum sacrosanctum Missæ Sacrificium paragitur, aut sacra Concio habetur, aut divina persolvuntur Officia, tumultus omnis conquiescat; ac proinde puerorum delationem in Ecclesiis, quorum infantilis insolentia propè intolerabilis est, omnino prohibemus, mandamusque Sacristis, sub pœnis arbitrariis, ut eos cum matribus, nutricibus, aut iis, qui eos deferunt, ab Ecclesiis expellant, ejiciantque. Interdicti pœna obstrictos esse volumus percutientes, aut quomodolibet lædentes in Ecclesia, aut in alio loco sacro, etiam in Monialium collocutoriis existentes, quamvis ibi loco refugii non sint. Nulli liceat in servitutem Ecclesias redigere, portas, aut fenestras aperiendo, per quas prospectus, aut transitus habeatur in ipsas, sine speciali Indulto Apostolico.



TIT. I.

TIT. XXIV.

De Sponſalibus, & Matrimoniis.

CAP. I.

Ante actualem Matrimonii celebrationem Sponſis ſub eodem tecto habitatio, & inter ſeipſos converſatio interdicitur.

ETſi nihil in hac vita felicius excogitari poſſit, quàm ut animus nullis ſeculi diſtentus curis, nulliſque voluptatum illecebris irretitus, in uno pietatis ſtudio, divinarumque rerum contemplatione defixus, conquieſceret; cùm tamen, ut inquit Apoſtolus, unuſquiſque proprium donum habet ex Deo, & Matrimonium inter alia Sacramenta numeretur, quod etiam Chriſtus ſua præſentia ſanctificavit, jam ſatis apparet, illud non eſſe cœlibe vita longè inferius, cùm ſanctè, & religiosè ſuſcipiatur. Cùm enim ſanctus Paulus, & Princeps Apoſtolorum divino afflati Spiritu probè intelligerent, quàm multa commoda ad ſocietatem Chriſtianam pervenirent, ſi Chriſti fideles ſanctitatem Matrimonii cognoſcerent, inviolatamque ſervarent, & quantas Eccleſiæ excitaret calamitates ejuſdem ignorantia & negligentia, pluribus in locis, quæ ad illius dignitatem, & officia pertinent, accuratè ſcripſerunt. Hanc igitur Matrimonii ſanctitatẽ ab Apoſtolo Gentium tantopere nobis commendatam, ne inimicorum inſidiis patere patiamur, hæc obſervanda præcipimus.

Ut

Ut igitur Sponsi hujus Sacramenti virtutem penitus agnoscant, & ne ejus sanctitas unquam polluatur, ut corruptelas passim invalescentes radicitus evellamus, interdicimus, ne Sponsi conversationem, quæ offendiculo esse possit, unquam inter se habeant, antequam Matrimonium per verba de præsenti rite contraxerint: multò minùs ne Sponsi sub eodem cohabitent tecto; quòd si secùs fecerint, Excommunicationis pœna se feriendos esse sciant; mulieres enim, quod valde indignum videtur, sub spe futuri Matrimonii se prostituere non erubescunt, & meretrices priùs, quàm Sponsæ evadunt; ultra igitur prædictam Excommunicationis pœnam comminatam, Matrimonium inter prædictos Sponsos, nisi priùs secuta reali, & effectiva separatione, non perficient. Parochorum conscientiam oneramus, ut in hujusmodi pravo abusu eliminando sedulò invigilent, & transgressores ad Nos deferre non prætermittant. Verùm si, quod damnabilius est, Sponsi ante Matrimonii celebrationem simul habitaverint, sciant hoc eorum peccatum, utpote reservatum, a nullo absolvi posse, nisi debitam a Nobis facultatem obtinuerint. Ut igitur omnis peccandi occasio removeatur, ut quantò citiùs post contracta Sponsalia per verba de futuro, per verba de præsenti in faciem Ecclesiæ, juxta Canonicas Sanctiones, Matrimonium contrahatur, monemus.

CAP.

C A P. II.

Matrimonia, nisi peractis priùs denuntiationibus, & licentia obtenta, non celebrentur.

PRimo nostro Quadragesimali Edicto, nostræque primæ Synodo inhærentes, omnibus Parochis, cęterisque animarum Rectoribus, sub pœna carceris per sex menses, districtè mandamus, ne Matrimoniis tam Civium, quàm Exterorum assistant, non explorata priùs contrahentium voluntate, debitis in Ecclesia inter Missarum solemnia præmissis denuntiationibus, capta per nostram Curiam, aut ab aliquo de ejus mandato super libero contrahentium statu informatione, ac obtenta a Nobis, vel Vicario nostro Generali facultate Matrimonio assistendi in scriptis concedenda. Experientia enim comperimus, non rarò ex præmissarum solemnitatum defectu, vera impedimenta reticeri, & Matrimonia in gradu prohibito contrahi, quæ postea, non sine contrahentium, eorumque consanguineorum dedecore, & scandalo, deteguntur.

C A P. III.

Locus, & hora Matrimonia celebrandi notatur. Parochi per seipsos illis assistant, atque in libro destinato describere quantocyùs curabunt.

MAtrimonia domi non contrahantur absque expressa, & in scriptis obtenta nostra licentia. Parochi in assistendo Matrimoniis, quæcunque in schedu-

la

la præſcribentur, ad unguem, ſub pœna arbitraria, obſervent. Per ſeipſos, non verò per alios Matrimoniis, niſi legitimè fuerint impediti, aſſiſtant, deſcribantque Matrimonium ſtatim in libro Matrimoniorum, ab ipſiſmet ſub clave conſervando. Matrimonia non celebrentur poſt Salutationem Angelicam ſerotinam.

CAP. IV.

Super Matrimonii conſenſu, ut liber ſit, Parochi invigilabunt.

CUm nullus ſit contractus, in quo major requiratur libertas, quàm iſte Matrimonii, utpote ad Sacramenti rationem elevatus, omni exquiſitiori diligẽtia cavebunt Parochi, ne conſenſus paterna, aut aliorum auctoritate per vim, & metum extorqueatur. Acriùs autem hac in re invigilent, & ſi noverint Sponſos ad conſentiendum ab aliquo parẽtum, vel conſanguineorum, vel ab alio quocunque cogi, hos ab inferenda coactione, quod grave eſt peccatum, & res plena periculo, retrahere prudentibus argumentis conabuntur; fruſtrati verò ſpe hoc aſſequendi, de tota re Nos certiores faciant, vel Vicarium noſtrum Generalem.



C A P. V.

Si inter denuntiationes aliquod impedimentum exoriatur, Parochi ad Curiam deferant Episcopalem.

ANte Matrimonium publicè in Ecclesia, cùm frequentior est populi concursus, in tribus diebus Festis tres fiant denuntiationes; testes verò pro statu libero non recipiantur, nisi post duos dies, vel saltèm unum post peractas denuntiationes, nec aliter a nostra Curia admittentur, ut locus impedimentorum revelationi detur. A testibus super Sponsorum statu libero examinandis requiratur etiam ipsorum ætas. Parochus, qui Matrimonium proclamavit, si aliquod ei afferatur impedimentum, quò minùs illud contrahi possit, ad aliam non progrediatur denuntiationem, licet delatum impedimentum falsum sibi videatur, vel insubsistens, sed ad Nos, & nostram Curiam rem referat, aliter graviter nostro arbitrio punietur.

C A P. VI.

Clandestina Matrimonia sub Anathemate prohibentur. Si Parochi astiterint, suspensionem per biennium incurrent.

MAtrimonia, quæ dicuntur Clandestina, sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ Nobis reservatæ prohibemus, qua Censura non solùm contrahentes, verùm & consulentes, & testes, qui data opera, & scienter eis interfuerint, innodari mandamus

nius. Parochi verò hujusmodi Matrimoniis assistentes dolosè, sint per triennium suspensi, & arbitraria mulctentur pœna. Insuper iisdem Parochis præcipimus, ut statim de hujusmodi Matrimoniis nostram Curiam informare debeant, sub pœna ducatorum viginti, licèt ipsi dolosè eis non adfuerint.

TIT. XXV.

De Magistris.

CAP. I.

Sacri Seminarii nuper a fundamentis excitati manutentioni Episcopum providisse denuntiatur. Annuales Reditus, Excommunicatione proposita, Procuratori solvendos edicitur.

CUm multa sapienter in Tridentina Synodo, divini Numinis affatu, inventa atque instituta sint, tum nihil efficacius ad reparandam Ecclesiasticorum disciplinam in deteriora ruentem excogitari potuit, quàm ut quicũque Ecclesiasticam vitam essent amplexuri, in Seminariis jam inde à tenerioribus annis educarentur, ut humanarum divinarumque rerum doctrinà informati, possent aliquando & eruditionis armis laboranti Ecclesiæ opem ferre, & castigatæ vitæ splendore aliis prælucere. Cùm enim non morum tantùm corruptelis, sed ignorantia etiam, & caligine ingeniorum Religionem Christianam obrui compertum sit, nihil ad errores discutiendos, pietatemque fovendam sapientius fieri po-

tuit, quàm, ut qui aliis præesse debeant, elegantioribus doctrinis, & moribus castigatioribus instituerentur. Quapropter cupientibus Nobis sæpenumero diffluentes Ecclesiasticorum mores severis legibus coercere, populumque languentem ad virtutem excitare, nihil opportunius visum est Seminarii institutione. Quamrem, etsi ex quo ad hujus Ecclesiæ gubernacula admoti essemus, executioni mandari optaverimus, multis tamen interclusi impedimẽtis, in aliud tempus rejecimus. Nunc verò iis omnibus, quæ Nobis sese opposuerũt, tandem aliquando liberati, & ut omnia ad nutum, & præscriptũ sacrorumCanonum revocarentur, in hac Triventina Urbe Clericorum Seminarium a fundamentis excitavimus. In quo cùm pietatis, & literarum studia tanta animi contentione excolantur, ut non ex hac tantùm Diœcesi, sed e longinquis etiam partibus eò frequentiùs confluant, magnam in spem ingressi sumus, ut Ecclesia uberrimos ex eo referat fructus. Verùm, ne juventutis animi, qui in hoc Seminario educantur, sensim relaxentur, & temporis inclinatione dilabantur, eos Synodalibus Statutis munire operæ pretium existimavimus. Cùm pro manutentione nostri Seminarii, cui nullæ suppetunt facultates pro executione Decretorum sacri Tridentini Concilii, ac Summorum Pontificum mandatorum, ejus forma servata, sit Taxa efformata juxta aliam antiquam super fructibus, & reditibus omnium Ecclesiarum, Beneficiorum, locorumque Piorum Ecclesiasticorum nostræ Diœcesis, quam jam exegit, & in possessione, seu quasi eam exigendi pacifice prædictum Seminarium reperitur; eam propterea confirmamus, mandamusque sub pœna Excommunicationis quotannis Seminarii Procuratori solvi, donec de Beneficiis
sim-

ſimplicibus, prout ea vacare contigerit, ex facultate Nobis tributa competenter fuerit eidem proviſum. Unionem verò Beneficiorum ex prædicta auctoritate per Nos cum conſilio Deputatorum uſque adhuc factam pariter confirmamus, & hac Conſtitutione Synodali approbamus.

CAP. II.

Idoneorum electio Seminarii Rectori ſummopere commendatur.

UT autem ex Seminario optimos habeat noſtra Diœceſis operarios, curaverit ejus Rector, pietate, boniſque moribus Adoleſcentium animos informare, eorum mores proinde, indolem, & totam vivendi rationem diligenter exquirere. Ad hoc autem faciliùs aſſequendum, in eorum electione ſummam adhiberi diligentiam mandamus, nec in illud recipiantur, niſi moribus ingenui, & Eccleſiaſticam præferentes diſciplinam, nec ætate minores duodecim annis.

CAP. III.

Quædam ad Seminarii Clericos quoad Eccleſiaſtica munia ſpectantia decernuntur.

IN Choro noſtræ Cathedralis diebus Feſtis devotè ac modeſte ſe gerant, ut omnibus videantur Eccleſiaſticam redolere pietatem; locus autem, quem occupare debent in Proceſſionibus, ſit immediate ante Manſionarios noſtri Capituli; congruum enim eſt, ut qui faciunt

unum

unum corpus cum Capitulo, ab eodem in Processionibus non dividantur. Extra Cathedralem nemini quibuscunque in functionibus assistant, atque inserviant, nisi tantùm Nobis, nostrisque Successoribus, & Capitulo in forma; atque celebranti pro Ministro in Altari diebus Festivis de præcepto in Missa Conventuali saltèm unus inserviat.

C A P. IV.

Studiorum, quibus incumbendum, ratio insinuatur.

STudia literarum, in quibus exerceri volumus nostros adolescentes Seminaristas, & in perpetuum frequentari mandamus, sint lingua Latina, Græca, Scripturarum studia ineuntibus etiam Hæbraica, literæ humaniores, Rhetorica, Poetica, Philosophia, Theologia Scholastica, Dogmatica, Moralis, Institutiones Juris Pontificii, & Cæsarei, præter quotidianum Cantus Gregoriani exercitium; hoc tamen juxta cujuscunque captum, & ingenium.

C A P. V.

In Beneficiorum collatione Seminaristas aliis præferendos decernitur.

ET quia præmiorum ratio alacriores in literarum studiis reddit juvenes, ut in illis se ardentiùs exerceant, proinde in collationibus Beneficiorum, ac etiam Dignitatum, cæteris paribus, educatos in Seminario præferendos esse decernimus, quod etiam in electione pro sacris Concionibus in hac Diœcesi tempore

Ad-

Adventus, & Quadragesimæ habendis, locum habere mandamus. Pergant igitur præclaræ indolis Adolescentes eam vivendi insistere rationem, quam tanta laude, & alacritate susceperunt, ne spes, quæ ab omnibus tam laudabiliter est concepta, Nos fallat aliquando.

TIT. XXVI.

De Pœnitentiis, & Remissionibus.

CAP. I.

Sacramentales Confessiones excepturos animi munditie, qua fieri possit, præditos esse oportere ostenditur.

Quamquam a deploranda originis infectæ contagione per saluberrimum Baptismi lavacrum jam inde a teneriorìbus annis expiati, iter in cœlestem patriam tot annis interclusum tandem aliquando reseravimus; tot tamen in hisce seculi fluctibus cogimur in dies subire tempestates, tot effrenatarum cupiditatum ventis conflictari, & pene mergi, ut penitus esset desperandum, nisi per Pœnitentiæ Sacramentum, divini Numinis gratia prosequente, in æternum salutis portum veheremur; unde illud Hieronymi jam omnium teritur sermone proverbium, *Pœnitentiam esse secundam quasi tabulam post naufragium*. Quemadmodum enim fracta navi, unum servandæ salutis perfugium superest, si forte tabulam aliquam de naufragio liceat arripere; ita si Baptismi innocentia in quorumcunque peccatorum scopulos impacta fran-

frangatur, vel undis obruatur, nisi ad Pœnitentiæ tabulam confugiamus, nobis esset æternò pereundum. Quoniam verò peccatorum vincula, quibus mortalium animi quotidie irretiuntur, disrumpenda sunt per Ministros ejus, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, quod nisi rectè fiat, arctioribus ipsi apud Deum laqueis tenebuntur; Pastorali solicitudine nostra providendum est, ut qui tanto ministerio destinantur, sui muneris partes ea, qua fieri poterit, diligentia valeant obire. Cogitantibus autem Nobis, & animo acriùs reputantibus pessimas hujus Diœcesis corruptelas, causamque malorum tantorum, quæ passim debacchantur, tandem visum est deplorandæ Confessariorum negligentiæ hæc omnia magna ex parte esse adscribenda, qui cùm aliorum vulneribus remedia debeant præbere, crudelioribus ipsi peccatorum plagis transfiguntur. Quamobrem caveant, ne mortifero aliquo peccato deturpati, aut Censura aliqua Ecclesiastica, aut alio Canonico impedimento irretiti, ad tanti Sacramenti administrationem audeant accedere; imò suam vitæ rationem moribus castigatioribus studeant ornare, ut Pœnitentes non verbis solùm, sed exemplis quoque ad bonos mores, virtutesque colendas exardescant. Et quoniam Confessionis Ministri Judicis, & Medici simul vices gerunt, ut quod ad Judicem attinet, ex variis peccatorum generibus, quæ atrociora, quæ leviora sint, & quomodo coercenda, pro cujusque hominis ordine, & genere judicare possint; & ut Medici ea remedia adhibeant ægrotis, quæ ad depellendam vim morbi aptiora videantur, opus est, ut ii tum scientiam & eruditionem, tum etiam prudentiam studeant sibi comparare, tam ex Divina gratia, quam assiduis

Deo

Deo precibus fundendis sibi conciliabunt, tam ex auctoribus probatis, qui eam materiam pie & planè tractarunt.

CAP. II.

Sine prævio examine, licentiaque obtenta, nemo ad Confessiones audiendas accedere præsumat: & in alienis Ecclesiis, a Rectoribus earum venia impetrabitur.

NUllus Sacerdos, Parochis exceptis, etsi ab alterius Diœcesis Ordinariis approbatus, Pœnitentiæ Sacramentum audeat administrare, nisi a Nobis, prævio diligenti examine, facultatem obtinuerit, excepto extremæ necessitatis articulo. Præcipimus insuper, neminem Confessariorum secularium, sive Regularium in alienis Ecclesiis Confessiones posse excipere, nisi priùs licentiam ab illorum Rectoribus petierit: eximimus tamen ab hac lege Canonicos nostræ Cathedralis.

CAP. III.

Quomodo in actuali ministerio, ut rite fructuosèque peragatur, gerere se debeant, Confessariis in mentem revocatur.

PŒnitentem sua peccata confitentem Confessarius ea, qua poterit, patientia, & benignitate adjuvabit, timidum confirmet, tristem consoletur, errantem dirigat, & paterna prosequens caritate, ad salutem curet revocare. Si verò talem contritionem Pœnitentem non elicuisse animadverterit, ad eam inflamma-

re enixè conetur, hoc ſæpiſſime inculcans, uſque adeò propter Deum ei de peccatis dolendum eſſe, ut ſaltem, adjutrice gratia, quam a Deo intimè precetur, Sacramentique virtute, ex attrito fiat contritus. Quòd ſi Pœnitens nulla contritionis, vel ſaltem attritionis ſigna oſtendet; eum nullo pacto Confeſſarius abſolvat, ſed ſalutaribus conſiliis, & bonis operibus præſcribendis curet diſponere. Hac tamen in re illud potiſſimùm cavebit, ne aſperiùs tractando inducat, ut vel deſperet, vel a Confeſſione in poſterum omnino abhorreat. In interrogationibus verò omnem adhibeat diligentiam, ne rudibus præſertim, atque utriuſque ſexus junioribus ad nova, & nunquam antea attentata facinora iter aperiat, & caveat in peccatis, illorumque circumſtantiis diſcutiendis, ne offendiculum præbeat, aut ſimplices ea peccata doceat, quæ penitus ignorant.

C A P. IV.

Quibus abſolutionis beneficium denegandum, vel differendum, advertitur.

ADvertat diligẽter Confeſſarius, ne iis impertiatur abſolutionem, qui mortales inimicitias, vel odia deponere, vel alienum pro facultate reſtituere, vel occaſiones, quæ ad ſcelera præcipites agant, recuſent declinare; quapropter quemquam ante debitam, vel famæ, vel rei ſatisfactionem, ubi reſtituendi onus ineſt, ne abſolvat, præcipue ſi aliàs impoſitum reſtitutionis præceptum neglexerint. Reſtitutiones incertorum, ſibi, vel ſuis Eccleſiis faciendas nullatenus Confeſſarii injungant, ſed Pœnitentium arbitrio prorſus relinquant; qui licet quandoque abſolvi poſſint, expedit tamen,

tamen, vel absolutè denegari, vel differri absolutionem, cùm ea non facilè sit impendenda, præsertim quibus in naturam ferè versa est peccandi consuetudo, veluti Concubinariis, Meretricibus, Usurariis, solitis inter ludendum blasphemare, a ludo tamen non abstinentibus, vel aliis hujusmodi, qui proximam peccandi occasionem deserere recusant; eousque tamen differatur absolutio, quousque se Pœnitentem sanare, non in desperationem adducere posse, prudenter animadverterint. Iis etiam protrahatur absolutio, qui cùm ad annos discretionis pervenerint, saltèm quoad substãtiam, Fidei articulos, Decalogi & Ecclesiæ præcepta, Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam nesciunt, donec aliquo modo juxta eorum captum tali satisfecerint obligationi; Patribus, Matribusquefamilias negligentibus etiam post admonitionem in curando, ut filii talia addiscant, absolutio denegetur.

CAP. V.

Satisfactiones Pœnitentibus pro modo & ratione culpæ a Confessariis injungendæ.

QUò faciliùs commissa facinora detestentur Pœnitentes, studeant Confessarii eos de rigore Canonicarum pœnarum admonere, de quibus Pœnitentiales extant, ut tunc, horrore concepto de admissis sceleribus, verum eliciant dolorem, & ab aliis perpetrandis in futurum deterreantur; Confessarios idcirco, ut pœnitentiales decurrant Canones, & quantum licuerit, se illis conforment, in Domino hortamur. Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, &

prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & Pœnitentium, salutares, & convenientes injungere satisfactiones.

CAP. VI.

Quod satisfactionis nomine, etiam si Missarum onera, Pœnitentibus imponitur, Confessarii sibimetipsis caveant applicare.

PRohibemus Confessariis, non solùm ne a Pœnitentibus pro audiendis Confessionibus quicquam exigant, imò ne satisfactionis quidem Sacramentalis nomine, quod in ipsorum, vel propriæ Ecclesiæ utilitatem refundatur, quid injungent; quin etiam tempore Confessionis oblatas pro Missis celebrandis eleemosynas non sibi, sed aliis pauperibus Sacerdotibus dari curent. Unus sit de subditis quæstus, una voluntas, parare Domino plebem perfectam.

CAP. VII.

Excipiendi ægrotorum Confessiones, præsertim mulierum, regulæ traduntur.

SI quando ad ægrotorum Confessiones excipiendas accersiti fuerint, peracta Confessione, schedulam manu propria scriptam ad ægroti Parochum transmittant, vel oretenus eum certiorem faciant, sub pœna suspensionis a Confessionibus audiendis ipso facto incurrenda, etiam contra Confessarios Regulares. Mulierum ægrotantium Cõfessiones nemini, nisi aperto cubi-

culi

culi oſtio, audire liceat, ita ut & ipſe Cõfeſſarius, & mulier conſpici, & non audiri valeant. Quantum fieri poteſt, in Eccleſiis ſemper, extra neceſſitatis caſum, Confeſſiones audiantur, nec ante ſolis ortum, neque poſt occaſum.

C A P. VIII.

Sedium Confeſſionalium forma deſcribitur. Confeſſarii ſine habitu Chorali & Stola, nullo modo, ſub triginta carolenorum pœna, Fidelium audiant Confeſſiones.

COnfeſſionales ſedes in locis patentibus ſint collocatæ, cum crate ferrea appoſita, & ex parte interiori, ſyllabo caſuum Nobis, & Summo Pontifici reſervatorum; ex parte verò exteriori apponatur Icon aliqua, quæ pietatem & devotionem Pœnitentibus excitare poſſit. Confeſſarii, dummodo non ſint Canonici induti Rocheto, & Mozetta, Confeſſiones excipientes Superpelliceo, & Stola ſint ornati, & Bireto capite cooperti; ſedent enim tunc temporis pro tribunali. Contrafacientes pœna carolenorum triginta pro qualibet vice mulctabuntur.



CAP.

CAP. IX.

Ut ad Pœnitentiæ Sacramenti frequentem usum Fideles inducant, Parochos Episcopus enixè hortatur.

ETsi omnibus utriusque sexus Christi fidelibus præceptum semel in anno confitendi sit impositum, quod omnino servari mandamus; cùm tamen undique variis circumdemur peccandi occasionibus, & tempus, quo Paterfamilias nos ad rationes reddendas sit vocaturus, ignoretur; curandum propterea summopere est, semper nos esse paratos: Estote enim parati, monet Christus Redemptor noster, quia nescitis diem, neque horam,qua Redemptor noster venturus sit;& non differendas Confessiones, etiam ut dæmonum tentationibus,tanto muniti Sacramento, & gratia per ipsum collata roborati, valide obsistamus. Parochos proinde per sanguinem Jesu Christi Salvatoris nostri hortamur, & obsecramus, ut hac in re omnem adhibeant diligentiam, ut ad Sacramenti Pœnitentiæ frequentem usum verbo, & exemplo oves sibi creditas inducant.

CAP. X.

S. Pii V. Constitutionis incipien. Super Gregem Dominicum *Medicis observantia inculcatur.*


MEminerint Medici Constitutionis S.Pii V.quæ incipit: *Super Gregem Dominicum*, a pluribus Summis Pontificibus innovatæ, qua eis strictè præcipitur,ne

tertiò Ægrotos in lecto jacentes visitent, nisi confessos. Sæpe enim, quia Medici ob humanos respectus ab Ægrotis hoc non exquirunt, morbus ingravescit, & vix loqui recte possunt, sæpe superveniunt deliria, aliaque maligna symptomata, quibus mens alienatur, Infirmi viribus destituuntur, & confiteri haud possunt.

CAP. XI.

Quæ sit mens Bullæ Gregorii XV. contra solicitantes, Confessariis indicatur.

SCiant Confessarii Bullam Gregorii XV. felic. record. contra solicitantes, in Appendice exhibendam; quæ solicitatio ad turpia, nedum in actu Sacramentalis Confessionis prohibetur, tam cum ipsomet Confessario, quàm cum aliis, verùm vel ante, vel post Confessionem immediatè, occasione, aut prætextu Confessionis, in Confessionario, aut quocunque alio loco pro audiedis Confessionibus electo, simulando ibidem Confessiones excipere. Moneant Pœnitentes, sive mares, sive fœminas, teneri Nobis hujusmodi Confessarios ad turpia solicitantes denuntiare, licèt ipsi Pœnitentes solicitationi consenserint, vel fuerint primi ad solicitandum Confessarium, dummodo solicitationi consensum ille præstiterit, aliàs denuntiare recusantes, absolutionis beneficio privabuntur.



CAP.

CAP. XII.

Casuum Episcopo reservatorum Tabella datur in Appendice.

CAsuum reservatio a potestate Nobis tributa emanat, limitatam enim jurisdictionem conferre possumus, ut crimina graviora securiùs corrigantur, & salubriora iis præstentur remedia, utque Fideles ob difficultatem veniæ impetrandæ, ab hujusmodi patrandis sceleribus abstineantur; Tabellam proinde Casuum Nobis reservatorū subjūgemus in Appendice, a quibus nullus omnino Confessarius absque nostra, vel nostri Vicarii Generalis licentia expressa, Pœnitentes, excepto necessitatis casu, absolvere possit, sub pœnis in Decreto S. Congreg. de speciali mandato fel. recor. Pauli V. emanato contentis, quod in Appendice dabimus, prout etiam Casus intra Italiam Summo Pontifici reservatos.

CAP. XIII.

Quorumdam Casuum reservationi obnoxiorum qualitas refertur.

INter cætera, quæ teneriori ætati solent esse incitamento ad libidinem, non ultimum obtinet locum prava nonnullorum parentum corruptela, qui suos filios, etiam grandiores, vel in suo secum lecto, vel cum aliis feminis consanguinitate conjunctis dormire patiuntur. Cui malo ut pro nostris viribus consulamus, pręcipimus omnibus utriusque sexus parentibus, ut suos filios

lios, qui septennium expleverint, secum dormire nunquam permittant; qui secùs fecerint, noverint se de tam gravi peccato non posse, nisi nostra facultate, absolvi. Eodem vinculo tenebuntur omnes, qui quatuordecim annis majores cum feminis decennio majoribus, etsi arctissimo consanguinitatis, vel affinitatis vinculo sibi conjunctis, audent dormire. Confessariis quibuscunque tam secularibus, quàm Regularibus facultatem adimimus, & ademptã esse præsenti Constitutione sancimus, eas personas pro illa vice in Confessione audiẽdi, & Sacramentaliter absolvendi, cum quibus utcunque, & quomodolibet in peccato carnali ipsi commaculati fuerint, aut homicidii, furti, vel libelli famosi, & damni consulentes, vel participes fuerint; ita ut nec licitè, nec validè absolvant ab eo peccato, cujus cum Pœnitente fuerint participes.



DECRETUM

De iis, quæ ad nostri Prædecessoris, & nostrarum Synodorum Constitutiones pertinent.

QUoniam leges tempori accõmodatas condere, & earumdem majestatem negligi permittere, & legislatoris auctoritati, & subditorum saluti perniciosum est; iccirco non solùm quæ in præsenti Synodo sunt decreta, sed quæcunque etiam in altera a Nobis celebrata, & in illa a fel. recordat. Prædecessore nostro Fratre Antonio Tortorelli Ordinis Minorum, dummodo hisce nostris Synodalibus Statutis non repugnent, confirmamus, eisque perpetuum firmitatis robur adjicimus, & ad amussim observari mandamus. At quomodo executioni demandentur, quæ nesciuntur? & sciri haud facilè possunt, quæ frequenter memoriæ ex libro non commendantur; omnes proinde, & singuli nostræ Jurisdictioni subjecti, cujuscunque gradus sint, quos omnes obligare & afficere præsentes Constitutiones, ac si unicuique ipsorum specificè, & personaliter fuissent intimatæ, volumus, & mandamus, harum Constitutionum exempla, quæ propediem Typis dabuntur, sibi comparare, sub pœna arbitraria, infra mensem post impressionem, teneantur, excepto nostro Capitulo, Dignitatibus scilicet, Canonicis, & Mansionariis, quibus ex nostra benevolentia gratis dabimus. Pecuniarias pœnas quascunque exigendas, locis Piis eo ipso declaramus applicatas, aut miserabilibus personis arbitrio nostro; ubi nulla in Constitutione pœnæ fit mentio, hæc ad Juris arbitrium pro modo culpæ infligetur. DE-

DECRETUM

De Synodi Conclusione.

HÆc sunt, quæ Spirituisancto, & Nobis decernenda visa sunt in præsenti Secunda nostra Diœcesana Synodo, quam optatum finem consecutam, complemus. Propterea ipsam Deo, qui eamdem cæpit, & perfecit, gratias agentes, concludendam esse decernimus, & conclusam denuntiamus.

ROGITUS ACTORUM.

PRæsidente Illustrissimo & Reverendissimo Domino Alphonso Mariconda Episcopo Triventino, ac præsente Reverendiss. Cathedralis Capitulo, universoq; ejusdem Civitatis, & Diœcesis Clero, servatis de more servandis, legitimè congregatis, omnes & singulæ suprascriptæ Constitutiones, ac Synodalia Decreta pluries in privatis cōgregationibus a viris doctrina præditis, prudentia, atque pietate præstantibus, quàm diligenter discussa, alta & intelligibili voce ex suggestu Cathedralis Ecclesiæ lecta, & publicata fuerūt ab Illust. & adm. Rev. Domino Johāne Claudio Bolognese ejusdē Ecclesiæ Canonico, & hujus Synodi Secretario, a Dominatione Sua Illustrissima deputato, ab omnibusq; de Capitulo, & Clero unanimiter, sponte, & liberè recepta fuerunt, instante Illust. & adm. Rev. Dom. Canon. Carolo Arcasensa prædictæ Diœcesanæ Synodi Promotore, qui, acceptatis petiit, ad omnem bonum finem, & effectum, & specialiter, ut de præhabitis in futurum semper constare valeat, neve unquam ab aliquo, vel

aliquibus allegari poſſit ignorantia, per me infraſcriptum publicũ Apoſtolica auctoritate, & præſentis Synodi Notarium, ut unum, vel plura conficerem, atque traderem Inſtrumentum, & Inſtrumenta, prout opus fuerit, & requiſitus ero. Unde, &c.

Acta fuerunt ſupradicta in Cathedrali Eccleſia Civitatis Triventi Anno a Nativitate Domini milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo ſeptimo, Indictione quinta, Pontificatus autem SS. in Chriſto Patris, & Dom. D. BENEDICTI Divina Providentia Papæ XIII. Anno quarto, diebus verò prima, & ſecunda Junii, duabus ſeſſionibus rite, & juxta formam conſuetam habitis, multis ibi præſentibus, & audientibus, & præſertim RR. DD. Marino de Paulo, Carolo Scarano, & Nicolao Scarano teſtibus, ad premiſſa omnia ſpecialiter habitis, atque rogatis, &c.

Et quia Ego Nicolaus Jagroſſo Canonicus Triventinus publicus Apoſtolica auctoritate, dictæque Synodi Notarius, de prædictis omnibus, & ſingulis rogatus fui, ideo in fidem hìc me ſubſcripſi, publicavi, meoq; ſolito ſigno ſignavi, & munivi.

Locus ✠ Signi.



AC-

ACCLAMATIONES.

I. DEo Patri misericordiarum, & Deo totius consolationis, & gratiæ, omni laus, honor, & gloria in secula seculorum.

℟. Amen, Amen, Amen.

II. Beatissimo Domino nostro BENEDICTO Papæ XIII. Summo Sanctæ, & Universalis Ecclesiæ Pontifici, Christiani nominis in omnes terrarum partes propagatio, cunctarum Gentium obedientia, pax vera, diuturna prosperitas.

℟. Domine Deus, Sanctissimum Patrem nostrum Ecclesiæ tuæ conserva. Mitte illi auxilium de Sancto: ut eo gubernante, Gentes omnes illuminentur, & quæ dispersæ sunt, in unum Ecclesiæ tuæ Ovile colligantur.

III. Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Alphonso Mariconda ex Congregatione Cassinensi Ordin. S. Benedicti, Episcopo nostro, hujus Synodi Præsuli, ejusque Ministris, salutaris vigilantia, in laboribus constantia, & felix exitus.

℟. Omnipotens Deus, super Pontificem nostrum benedictionum tuarum dona perpetuò multiplica.

IV. Serenissimo & Augustissimo CAROLO VI. Electo Imperatori, Regi nostro Catholico, ac Principibus Christianis, Catholicæ Religionis zelus, justitiæ, & pacis fecunditas, & contra Christianæ Fidei hostes victoria.

℟. Princeps Cœlestis, terrenos Principes Catholicæ fidei, æquitatis, & concordiæ conservatores, atque hostium nostrorum exterminatores custodi.

V. Cle-

V. Clero, & nostræ toti Diœcesi tranquillitas, salus, & divinarum gratiarum abundantia.

℟. Benedic Domine filios tuos, & esto in circuitu populi tui ex hoc nunc, & usque in seculum.


VI. Populo Christiano universo pars Christi æterna.

℟. Memento Domine Deus in beneplacito populi tui, & confirma in omni virtute gressus ejus, perpetuumque illi benedictionis tuæ rorem infunde.

DECRETUM ULTIMUM

De Synodi Dimissione.

AD laudem Omnipotentis Dei, Beatissimæ Deiparæ semper Virginis Mariæ, Sanctorum Martyrum Nazarii, Celsi, & Victoris, reliquorum hujus nostræ Civitatis, & Diœcesis Patronorum, cæterorumque Sanctorum, Synodum dissolutam, & dimissam decernimus, ita ut licitum cuique sit ad proprias Ecclesias redire. Hortamur tamen, & obsecramus vos, Fratres Carissimi, quatenus tales in vestro munere sitis, ut in moribus vestris hujusce nostræ Synodi fructus elucescat, & vestro exemplo imitationem sanctam plebs acquirat.



CA-

CATALOGUS

Judicum, & Examinatorum Synodalium, ab Illustrissimo Episcopo electorum, & ab universa Synodo per verbum Placet *receptorum, prout in Actis.*

JUDICES SYNODALES.

Reverendissimus D. Joseph Antonius de Alena U. J.D. Illustriss. Episcopi Vicarius Generalis.

Perillustris & adm. Rev. D. Nazarius Colaneri U. J.D. Abbas Infulatus, S. Cathedralis Ecclesiæ Archidiaconus.

Perillustris & adm. Rev.D.Januarius de Donatellis U.J. D. ejusdem Ecclesiæ Archipresbyter.

Mult. Rev. D. Nicolaus Antenuccio U. J. D. Archipresbyter Civitatis Angloni.

EXAMINATORES SYNODALES.

EX CLERO SECULARI URBANO.

Reverendiss. D. Joseph Antonius de Alena U.J. D. Illustriss. Episcopi Vicarius Generalis.

Perillust. & adm. Rev. D. Nazarius Colaneri U. J. D. Abbas Infulatus, S.Cathed. Eccl. Archidiaconus.

Perillust. & adm. Rev. D. Januarius de Donatellis U.J. D. ejusd. Ecclesiæ Archipresbyter.

Perillust. & adm. Rev. D. Dominicus Brindesi ejusd.Ecclesiæ Cantor. Illu-

Illuſt.& adm. Rev.D.Johannes Claudius Bologneſe ejud. S. Eccleſiæ Canonicus.

Illuſt. & adm. Rev. D. Nicolaus Colaneri ejuſd. S. Eccleſiæ Canonicus Theologalis.

Adm. Rev. D. Johannes Spena Sac. Sem. Rector.

EX CLERO SECULARI FORANEO.

Mult. Rev. D. Nicolaus Antenuccio U. J. D. Archip. Civit. Angloni.

Mult.Rev. D. Joſeph Mancino U. J. D. Archipresbyter Caſtriſangri.

Rev. D. Hieronymus de Alena U. J. D. Rector Parochialis Eccleſiæ S. Angeli Fruſinonis

Ven.Presbyter Franciſcus de Alena ejuſd.Oppidi.

Ven.Presbyter Nicolaus de Santopetro dictæ Civitatis Angloni.

EX CLERO REGULARI.

ADMODUM REVERENDI PATRES.

P. Lector D. Romualdus Spinoſa Ordinis S. Benedicti Congregationis Cœleſtinorum.

P.Lect.Fr. Marianus Mancino Ordin. Præd.

P.Fr. Nicolaus Palumbo Ordinis Min. Conventualium S. Franciſci S. Theologiæ Magiſter.

P. Thomas Celentano Clericorum Regularium Minorum Præpoſitus.

AP-

APPENDICE

AL SECONDO SINODO DIOCESANO

Della S. Chiesa Triventina.

I.

FORMOLA

Della Professione della Fede.

Cit. nel Tit. I. Cap. I. pag. 13.



Go N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia secula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. ET INCARNATUS EST DE SPIRITU SANCTO EX


Ad Tit. de Sum. Trinit. & Fide Catholica.

MARIA VIRGINE : ET HOMO FACTUS EST. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundùm Scripturas. Et ascendit in cœlum : sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos & mortuos : cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum, & vivificantem : qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur : qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi seculi, Amen. Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissime admitto, & amplector. Item sacram Scripturam, juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè, & propriè Sacramenta novæ legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licèt non omnia singulis necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium : illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de justificatione in

Sacro-

Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium, pro vivis, & defunctis: atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem, unà cum anima, & divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem; quam converſionem Catholica Eccleſia Tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantùm ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas Fidelium ſuffragiis juvari. Similiter & Sanctos, unà cum Chriſto regnantes venerandos, atque invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre: atque eorum Reliquias eſſe venerandas. Firmiter aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco, Romanoque Pontifici beati Petri Apoſtolorum Principis Succeſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac juro. Cætera item omnia a ſacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè a Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas,

& rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti spontè profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissimè (Deo adjuvante) retinere, & confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum: Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Euangelia.



II.

FORMOLA

De gli Atti di Fede, di Speranza, e di Carità.

Cit. nel Tit. I. Cap. I. pag. 16.

ATTO DI FEDE.


Ad Tit. de Sum. Trinit. & Fide Catholica.

IO credo fermamente, poiche così ha rivelato Dio alla Santa Chiesa Cattolica, che c' e' un solo Dio, e tre Persone Divine uguali, che si chiamano Padre, Figliuolo, e Spirito Santo, delle quali sebbene ciascheduna sia Dio, nondimeno non sono tre Dei, ma un solo Dio, perche tutte queste tre Persone hanno la medesima essenza, é divinità, e che il Figliuolo si fece huomo, prendendo, per opera dello Spirito Santo, carne, ed anima umana nel ventre della purissima Vergine Maria, e che morì per noi in Croce, risuscitò, e salì al Cielo, e di là ha da venire alla fine del mondo a giudicare tutti i vivi, ed i morti, per dare per sempre a' buoni il Paradiso, ed a' cattivi l' Inferno, e di più per lo stesso motivo credo tutto quello, che crede, ed insegna la medesima Santa Chiesa.

ATTO DI SPERANZA.

DIo mio, perche siete onnipotente, ed infinitamente misericordioso, io spero, che per gli meriti di Gesù Cristo nostro Salvatore mi darete la vita eterna,

& rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissimè (Deo adjuvante) retinere, & confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum: Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Euangelia.



II. FOR-

II.

FORMOLA

De gli Atti di Fede, di Speranza, e di Carità.

Cit. nel Tit. I. Cap. I. pag. 16.

ATTO DI FEDE.

IO credo fermamente, poiche così ha rivelato Dio alla Santa Chiesa Cattolica, che c' e' un solo Dio, e tre Persone Divine uguali, che si chiamano Padre, Figliuolo, e Spirito Santo, delle quali sebbene ciascheduna sia Dio, nondimeno non sono tre Dei, ma un solo Dio, perche tutte queste tre Persone hanno la medesima essenza, e divinità, e che il Figliuolo si fece huomo, prendendo, per opera dello Spirito Santo, carne, ed anima umana nel ventre della purissima Vergine Maria, e che morì per noi in Croce, risuscitò, e salì al Cielo, e di là ha da venire alla fine del mondo a giudicare tutti i vivi, ed i morti, per dare per sempre a' buoni il Paradiso, ed a' cattivi l' Inferno, e di più per lo stesso motivo credo tutto quello, che crede, ed insegna la medesima Santa Chiesa.

Ad Tit. de Sum. Trinit. & Fide Catholica.

ATTO DI SPERANZA.

DIo mio, perche siete onnipotente, ed infinitamente misericordioso, io spero, che per gli meriti di Gesù Cristo nostro Salvatore mi darete la vita eterna,

na, e se farò opere da buon Cristiano, come propongo di fare con il vostro santo ajuto.

ATTO DI CARITA'.

DIo mio, perche siete sommo, e perfettissimo bene, vi amo con tutto il cuore, e sopra tutte le cose, e più tosto d' offendervi, son disposto a perdere ogni cosa; e per amor vostro amo ancora, e voglio amare il mio prossimo, come me stesso.



III. ME-

III.

METODO

Di ben'insegnare la Dottrina Cristiana.

Cit. nel Tit. I. Cap. I. pag. 17.

ALFONSO MARICONDA

Della Congregazione Cassinese dell'Ordine di S. Benedetto, Patrizio Napolitano, per grazia di Dio, e della Sede Apostolica Vescovo di Trivento, alla stessa S. Sede immediatamente Suggetto, uno de' Vescovi Assistenti al Soglio Pontificio, Prelato Domestico della Santità di N. S. Benedetto PP. XIII. Consigliere a latere di Sua Maestà Cesarea e Cattolica.

PErche non basta dar il latte, quando il modo di porgerlo sia così disadattato, che non ne riceva il lattante il desiderato nutrimento; e perche il latte de' buoni costumi lo ricevono i fanciulli ne gl'insegnamenti della Dottrina Cristiana, quindi, acciocche da essa ricevano ogni buon nutrimento, prescriviamo il Metodo di ben farla. *Ad Tit. de Sum. Trinit. & Fide Catholica.*

I. Ne' giorni di Festa stabiliti nel nostro Sinodo, il dopo pranzo, oltre al solito segno della campana della Chiesa, subito si manderà uno, ò due figliuoli de'

più

più diligenti, e divoti, secondo la grandezza della Parrocchia (ed in loro mancanza il Cherico Parrocchiano) che col campanello vadano per le strade dicendo: *Padri, e Madri mandate i vostri figliuoli alla Dottrina Cristiana, altrimenti ne renderete stretto conto a Dio.*

II. Si eleggeranno due persone adulte delle più zelanti, e caritative, col titolo di *Pescatori*, che tenendo le bacchette in mano, vadano con piacevolezza ragunando i figliuoli, e le figliuole alla Dottrina, a' quali concediamo venti giorni d' Indulgenza nella consueta forma della Chiesa, ogni qual volta faranno questa opera di pietà; esortando a questo esercizio così santo le persone più nobili, e cospicue de' luoghi, acciocchè più facilmente s'inducano gli altri ad intervenirvi. In mancanza de' Laici suppliranno i Cherici, e i Preti della Parrocchia, e sarà uffizio di questi stessi il fare, che i figliuoli nel tempo dell' esercizio stiano colla dovuta modestia, e senza strepito in Chiesa.

III. Si divideranno in più Classi, secondo il numero, e capacità de' Parrocchiani, che sono obbligati ad intervenire alla Dottrina, facendo, che per ogni Classe siano otto, ò dieci al più, distribuiti in modo di circolo, e ad ogni Classe presederà col titolo di *Maestro* un Sacerdote, ò un Cherico, ò altra persona delle più intendenti, e più pratiche nella Dottrina Cristiana; adoperandosi de' figliuoli medesimi, col deputare per *Maestro* quello della Classe Quarta alla Classe Terza, quello della Terza alla Seconda, e così delle altre.

IV. Si procuri, che siano le Classi almeno quattro per gli figliuoli, e quattro per le figliuole: nella I. delle quali si assegneranno per iscolari i principianti, e s' inse-

insegnerà la Dottrina piccola del Bellarmino dal §. *Sete voi Cristiano* fino alla dichiarazione del *Credo*. Nella II. Classe dalla dichiarazione del *Credo* fino a i *Comandamenti di Dio*. Nella III. da i *Comandamenti di Dio* fino alle *Virtù Teologali*, e *Cardinali*. Nella IV. dalle *Virtù Teologali, e Cardinali* fino al fine. Essendovi poi moltiplicità di Parrocchiani da istruirsi, si moltiplicheranno le Classi, suddividendole secondo il bisogno.

V. Si faranno tanti Cartelloni, quante sono le Classi: ne' quali scriverassi con lettere majuscole, CLASSE PRIMA, CLASSE SECONDA, CLASSE TERZA, CLASSE QUARTA; e distribuiti proporzionalmente i luoghi, si affigeranno sopra i medesimi Cartelloni, acciocche ognuno sappia la sua Classe. Inoltre in un Libretto si noteranno tutti quei, che si stimeranno atti per la tale, e tale Classe. Nè si faranno passare dalla Classe inferiore all' altra superiore, se non quei, che col parere de' Maestri si saranno benissimo impratichiti delle cose, che s' insegnano nella Classe inferiore.

VI. Gli Arcipreti, Parrochi, Rettori, ò Vicarii Curati rispettivamente dovranno assistere, diriggere, e regolare tutte queste disposizioni. Ed acciocche riescano col dovuto ordine, decoro, e con frutto, dovranno con gran vigilanza essere tutti in tutte, e tutti in ciascheduna delle suddette Classi; e procureranno havere chi loro coadjuvi, ed avviseranno Noi, se i Chèrici, ò i Preti saranno negligenti; e se taceranno, la colpa si rovescerà a loro danno.

VII. Gli obbligati ad intervenire alla Dottrina Cristiana saranno i Maschi da i sette anni fino a i quattordici, e le Femmine da i sette anni fino a i dodici,

ci; e se i Parrochi saranno indulgenti, la colpa si rovescerà a loro proprio delitto.

VIII. Quando vi fossero però huomini adulti, che non sapessero bene le cose necessarie della Dottrina Cristiana, intendiamo sotto pena dell' Interdetto dall' ingresso della Chiesa, che restino astretti ad intervenirvi, ed i Rettori Curati gli collocheranno in quella Classe, nella quale parrà loro, che sia necessario. Se però vi fossero femmine adulte, si dovranno istruire da altre donne pratiche in un luogo appartato in Chiesa. Anzi esortiamo tutti, tanto huomini, quanto femmine, ad intervenire alla Chiesa nel tempo di questo esercizio; con avvertenza però, che le donne adulte si facciano stare in un luogo distinto della Chiesa, separate totalmente da gli huomini, concedendo *venti giorni d' Indulgenza* a quei, che interverrãno, e *quaranta* a quei, che insegneranno.

IX. L' esercizio dell' insegnare dovrà durare meza hora; e perciò ciaschedun Parroco dovrà provvedersi d' un Orologio da polvere per suo regolamento. Terminata che sarà la meza hora d' istruzione, si porranno i figliuoli, e le figliuole di ciascuna Classe, non più in circolo, ma una parte in faccia all' altra, e si farà per un' altra meza hora la Disputa, la quale consisterà in fare, che un figliuolo, ed una fiigliuola interroghi l' altro, e l' altra: e fallando, sia corretto da' compagni più pratici della medesima Classe.

X. Finita poi che sarà eziandio la Disputa, si farà la Dottrina Cristiana, giusta il solito, cantandosi da due per *fare* posatamente, rispondendo tutti i Parrocchiani, che sono insieme in Chiesa

1. Il

1. Il ſegno della S. Croce,
2. Il Credo,
3. L' Orazione Domenicale,
4. La Salutazione Angelica,
5. I Precetti del Decalogo,
6. I Precetti della Chieſa,
7. I Sette Sagramenti,
8. Un' Atto di Contrizione,

XI. Per ultimo ſi reciteranno le Litanie della B. Vergine coll'Orazione poſta in fine della Dottrina del Bellarmino; ſiccome ſi dovranno recitare le ſolite orazioni, preſcritte dal medeſimo, eziandio avanti di cominciare gli eſercizii. Dato nel Conſeſſo Sinodale canonicamente ragunato nella noſtra Cattedrale a' 2. Giugno 1727.

A. VESCOVO DI TRIVENTO.

G. C. Canonico Bologneſe
Segretario del Sinodo.

I V.

ADMONITIO INNOCENTII XI.

Ad Verbi Dei Concionatores per Literas Sacræ Congregationis Concilii.

Cit. Tit. I. Cap. IV. pag. 21.

Foris. Eminentiss. & Reverendiss. Domino Observandiss. Domino Cardinali Caracciolo Archiepiscopo Neapolitano.

Intus. Eminentiss. & Reverendiss. Domine Observandissime.

Ad Tit. de Sam. Trinit. & Fide Catholica.

A Pluribus Christiani orbis provinciis graves, frequentesque Romam, atque ad ipsam Sanctam Sedem adventant, seu delationes, seu querelæ adversùs præsentem prædicationis usum, tanquam a primævo Apostolorum instituto prorsus aberrantem. Ac quidem cùm Verbum Dei, quod, Apostolo teste, omnino esse debet sanum ac salutare, multiplici lue per plures ex ipsis Euangelii præconibus reddatur infectum; me-

meritò Sanctissimus D. N. decrevit contagionem universo gregi tam exitiosam, longèque patentem, omni Apostolicæ auctoritatis conatu prorsus exscindere; nam quæ pestis esse, aut excogitari violentior ea potest, quæ cibos ipsos ad vitæ præsidium institutos, ipsasque medicinas pro morbis depellendis inventas, in mortis instrumenta, & præsentissima venena converteret? Verbum profectò Dei est ille panis vitæ & intellectus, quo cibari, & aqua simul salutaris, qua potari Fidelium animas ab ipsis Religionis Christianæ incunabulis Redemptor noster edocuit. At verò si sal, quod pro Dei Verbo a Sanctis accipitur, per futiles conciones evanuerit, in quo putrescentia mortalium vitia condientur? Quinimo si sal idem, quod Prædicatores apertè significat, per eloquentiam planè stultam infatuatum fuerit, revera non ultrà valebit, nisi ut conculcetur, & utinam jam non conculcaretur ab hominibus. Quæ enim ministerio tam sacro majestas, qui decor, quæ sanctitas, quæ utilitas inest, quando plurimi, ut Paulus clamat, Verbum Dei adulterantes, aut jocis tanquam histriones, aut conversi ad fabulas, uti Poetæ, auditores sibi prurientes auribus coacervant, aut inanis facundiæ lenocinio, & calamistrato, ac meretricio plane stylo prædicationem fœdè corrumpunt? Mandat ergo Sanctitas Sua, zelo vere Apostolico accensa, ut omnes Primates, Archiepiscopi, Episcopi, cæterarumque Ecclesiarum Præsides, quorum præcipuum munus est Verbum Dei administrare, gregemque pascere, tantis corruptelis occurrant, easque Concionatoribus opportunè ob oculos ponant, ut fugiant a facie tot pestium potiùs, quàm colubrorum. Et præsertim universi intelligant quod per Jeremiam Deus illis indixit:

Pro-

Propheta, qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum verè; quid palea ad triticum? Numquid Verba mea non sunt ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petras: videlicet, oportere, conciones non paleis refectas esse ad vanitatem, sed igne veritatis succensas. Porrò sciant non levem esse culpam, sed grāde piaculum, gravissimaque pœna mulctandum, ubi per scurrilitatem Verbum Dei velut in scenam adducunt, atque auditoribus deridendum traduxerint. Præterea neque per quæstiones curiosas, ac paradoxa vana ita supra captum populorum assurgant, ut verè querantur: Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Similiter neque per illecebras inanium verborum res non minùs vanas obtrudant, & per ostentationem memoriæ, atque pronuntiationis præcipitantiam, quasi præstigiis auditorum animos, auresque ludificent. Quamobrem Antistites per se, si tempus vacaverit, tum in Cathedralibus, tum in aliis Ecclesiis seriò animadvertant, & in Diœcesi Vicariis Foraneis, aliisque Ministris, probisque viris, a quibus ea super re relationes exigant, vigilantiam demandent. Ac si Concionatores normam hujusmodi transgressos compererint, eos a prædicationis munere ad tempus bene visum suspendant, aliave ratione pro modo culpæ plectere curent, subrogando interim alios, qui salutari modo populo ostendant vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam valeant consequi. Eminentia igitur Vestra in Civitate, & Diœcesi ejus curæ credita Sanctissimi D.N. jussibus, proprioque muneri satisfacere non gravabitur, idemque suis Suffraganeis, vel qui Synodo Provinciali interesse consueverunt, significa-

re.

re. Et E. V. manus humillimè deosculor. Romæ 6. Julii 1680.

E. V.

Humillimus, & Addictiss. Servus
F. CARDINALIS COLUMNA.

S. Archiepisc. Brancacius Episc. Viterbien. Secretarius.



V. BUL-

V.

BULLA

SIXTI IV. exemptionis Cathedralis Ecclesiæ Triventinæ ab Archiepiscopali Beneventana.

Cit. Tit. VI. Cap. I. pag. 40.

SIXTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.
Ad perpetuam rei memoriam.

Ad Tit. de Majoritate, & Obedientia.

AD Apostolicæ dignitatis apicem superna dispositione vocati, ex Pastoralis officii debito vices temporum, qualitates, & conditiones Ecclesiarum, & locorum omnium sic solerti consideratione pensare debemus, quòd debitum ad singula habentes respectum, sic circa Ecclesiarum, & locorum eorumdem, ac Personarum in eis degentium statum prosperum, & salubrem solicitis studiis intendamus, quòd ab eis jurgiorum, dispendiorumque sublatis incommodis, Ecclesiæ ipsæ, illarumque Prælati, & Personæ, ut in suis juribus conserventur, & votivis gratulentur oneribus, Apostolicos se cognoscant recepisse favores. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte Venerabilis Fratris nostri Thomæ Episcopi Triventini petitio continebat, quòd, licèt fel. record. Alexander Papa III. Prædecessor noster Ecclesiam Triventinam sub Beati Petri, & Sedis Apostolicæ protectione susceperit, & suis privilegiis communiverit; & piæ memoriæ Urbanus VI. etiam Prædecef-

cessor noster in diversis suis literis de illa, ut dictæ suæ Sedi immediatè subjecta disposuerit; & a tempore cujus initii memoria hominum non extitit, Archiepiscopus Beneventanus, qui fuit pro tempore, in Episcopum, & Ecclesiam Triventinam nullam superioritatem, & Archiepiscopalem jurisdictionem exercuerit, imò Triventinus Episcopus, qui fuit pro tempore, pro exempto ab ipsius Archiepiscopi jurisdictione, & superioritate, ac pro subjecto immediatè Sedi prædictæ se gesserit, & de libertate sua, & de non subjectione protestationes, & contradictiones appareant in forma ejusdem nomine factæ, & adnotatæ, nec contra eas aliquid sit prosecutum, ac insuper fama, nominatio, & reputatio fuerit de exemptione prædicta. Nihilominus quia postmodum una, vel duæ latæ prætenduntur sententiæ super subjectione hujusmodi pro Archiepiscopo, & contra Episcopum, & Ecclesiam Triventinam prædictos, tempore bonæ memoriæ Jacobi Episcopi Triventini, ipsius Thomæ immediatè Prædecessoris, ipsius Jacobi incuria, & impotentia, seu aliàs quia privilegia exemptionis hujusmodi forsitan perdita erant, & de illis doceri non poterat, Ecclesia Triventina, & Thomas Episcopus præfati, solita quasi possessione exemptionis prædictæ post sententias præfatas gaudere non potuerunt, neque possunt. Quare pro parte dicti Thomæ Episcopi Nobis fuit humiliter supplicatum, ut ad tollendam omnem altercationem, & ambiguitatem circa prædicta, & ne ipsa Ecclesia Triventina ulteriùs fatigetur laboribus, & expensis, & propter litigia, quæ exinde oriri possent: Ecclesiam Triventinam, quæ inter alias Cathedrales Ecclesias illarum partium antiqua, & insignis existit, & Thomam, ac pro tempore existentem

V Epi-

Episcopum, Civitatem, & Dioecesim, ac dilectos filios Capitulum, & Clerum, necnon Populum Triventinum ab omni superioritate, & dominio, potestate, & jurisdictione, quibus forsan Ecclesiæ Beneventanæ subesse prætenderentur, ac quibuslibet aliis prorsus in perpetuum liberare, ac sub Beati Petri, & Sedis præfatæ protectione suscipere, aliàsque eis in præmissis opportunè providere, de benignitàte Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Prædecessorum prædictorum literas diligenter inspici fecimus, de præmissis plenè informati, ac Carissimi in Christo Filii nostri Ferdinandi Regis Siciliæ Illustrissimi, Nobis super hoc humiliter supplicantis, & hujusmodi præfati Thomæ supplicationibus inclinati: Ecclesiam, Civitatem, & universam Dioecesim, Thomam, ac pro tempore existentem Episcopum, Clerum, Capitulum, & Populum Triventinum ab omni dominio, superioritate, potestate, & jurisdictione, quibus forsan Ecclesia, Civitas, Dioecesis, Episcopus, Clerus, Capitulum, & Populus prædicti, Archiepiscopo, & Ecclesiæ Beneventanæ præfatis subesse prætenderentur, ac aliorum quorumlibet, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò eximimus, & etiam liberamus, ac sub Beati Petri, & Sedis prælibatæ, ac ejusdem Ecclesiæ Romanæ, atque nostra protectione suscipimus, exemptosque, immunes, atque liberos esse volumus: Nobisque, & Successoribus nostris Romanis Pontificibus canonicè intrantibus, ac dictæ Sedi immediate subesse; supplendo omnes, & singulos defectus, si quaeunque occasione, vel causa in ipsis literis intervenerint, ita quòd Archiepiscopus prædictus, vel quivis ejus Vicarius, seu Officialis, etiam ratione delicti, sive contractus, aut rei, de qua agitur, ubicunque commit-

mittantur delicta, vel ineatur contractus, aut res ipsa consistat, nullum in Episcopum, Civitatem, Diœcesim, Capitulum, Clerum, & Populum Triventinum prædictos, illorumque singulares Personas Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti sententias proferre, aut aliàs in eos jurisdictionem, potestatem, aut dominium exercere, seu ad Provincialia, vel alia Concilia convocare præsumant; sed dumtaxat coram dicta Sede, vel ejus Delegatis teneantur conquerentibus de ejus injustitia respondere, ac decernentes ex nunc omnes, & singulas Excommunicationum, Suspensionum, & Interdicti sententias, ac Processus, quas, & quos contra Episcopum, Ecclesiam, Civitatem, Diœcesim, Capitulum, Clerum, & Populum Triventinum prædictos, illorumque singulares Personas promulgare contigerit, haberi irritas, & inanes, nulliusque roboris, & momenti. Et insuper eidem Ecclesiæ, Episcopo, Clero, Capitulo, & Populo Triventino, quòd præsentes literæ ad plenam probationem omniũ per eumdem Thomam Nobis, ut præfertur, expositorum, sufficiant, ipsique ea aliter probare non teneantur, & nihilominus exemptione, & aliis eis concessis in præsentibus literis potiantur, eadem auctoritate indulgemus, non obstantibus sententiis, & aliis præmissis, ac recol. mem. Innocentii PP. IV. Prædecessoris nostri contra exemptos, quæ incipit: *Volentes*, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ exemptionis, liberationis, susceptionis, voluntatis, suppletionis, cõstitutionis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationẽ Omnipotentis

Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum: Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, pridie Kalendas Julii, Pontificatus nostri anno tertio.



VI. DE-

VI.

DECRETUM

Sacrę Congregationis Episcoporum, & Regularium pro Curia Triventina super omnimodam Jurisdictionem in Clerum, & Populum Terrę Castripineani privativè quoad Archipresbyterum dictæ Terræ.

Cit. Tit. VI. Cap. II. pag. 41.

SEBASTIANUS ANTONIUS

Miseratione Divina Episcopus Ostiensis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Tanarius, Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, & in hujusmodi Causa Ponens, a Ss. Domino Nostro PP. specialiter electus, & deputatus.

UNiversi, & singuli hoc præsens publicum Decreti Instrumentum visuri, lecturi, legique pariter audituri, noverint pro parte, & ad instantiam Rev. Domini Promotoris Fiscalis Curiæ Episcopalis Tri- *Ad Tit. de Majorit. & Obedientia.*

Triventi principalis,ſive,&c. Citato coram hac Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium, ſive infraſcripto Eminentiſs. Domino Tanara Ponente,D. Vito Angelo Cavalletto Procuratore Rev. D. Franciſci Piſtilli Archipresbyteri Terræ Caſtripignani ex adverſo principalis per Curſorê Ss. ſervatis ſervandis, ut moris eſt,ad comparendum coram Eminentiſs. Domino die craſtina,hora vigeſima, & videndũ purgari attentata ex adverſo commiſſa,in ſpretum Reſolutionum Sacrę Congregationis, & Decretorum Eminentiſſimi Domini, ac Rev. P. Domini Auditoris Ss. & pro illorum effectu circumſcribi omnia, & ſingula acta,facta per dictum D. Archipresbyterum, & præſertim aſſertas Cenſuras per eumdem latas contra Reverendiſſimum Archipresbyterum D. Januarium Donatellum, uti Auditorem Generalem, & Delegatum Curiæ Epiſcopalis Triventi, ac Rev. D. Canonicum Claudium Bologneſe Cancellarium dictæ Curiæ, & Rev. D. Leonardum Palmerinum Œconomum Eccleſiæ Archipresbyteralis dicti Caſtripignani, Cedulonesque affixos, tanquam temerarios, & attentatos lacerari cum omnibus inde ſecutis, & interim videndum ſibi denuo inhiberi, ne ſub pœnis mandati de capiendo, & Excommunicationis ipſo facto incurrendę,aliiſque arbitrio Eminentiſs.Domini,in poſterum audeat, ſeu præſumat ullum actum prætenſæ juriſdictionis in Clerum, & Populum dicti Caſtri exercere,minùſque Officiales,& Miniſtros dictæ Curiæ Epiſcopalis Triventinæ ſub quovis prætextu impedire ſuper exercitio privativæ juriſdictionis exercendæ per Illuſtriſs. Epiſcopum Triventinum, ad formam dictæ Reſolutionis dictæ Sacræ Congregationis, & Decretorum, &c.ad dictam diem,&c.Qua adveniente,relatione facta,

con-


comparuit D. Gaspar Battaglia Procurator, petiit, & obtinuit, ut suprà, docto tamen de attentatis, & intimato per diem ante; de quibus quidem attentatis fuit in actis satis superq; doctum, & intimatio in actis legitimè reproducta. Quæ omnia vobis omnibus, & singulis supradictis intimamus, insinuamus, notificamus, & ad vestram notitiam deducimus, ne de præmissis ullo unquam tempore ignorantiam aliquam allegare valeatis, taliter, &c. In quorum fidem, &c. Datum Romę, ex Ædibus nostris hac die decimaquinta mensis Aprilis, 1722.

SEBASTIANUS ANTONIUS CARDINALIS TANARIUS PONENS.

Pro D. Paulo Fatio Not. *Salvator Paparozzius Con.*

Instrumenti Decr. Lib. Recept. fol. 154.

Adest Sigillum



VII. DE-

VII.

DECRETUM

Auditoris Cameræ super Controversia Matrimoniali cum Civitate Angloni, in favorem Curiæ Episcopalis Triventinæ.

PROSPER COLUMNA

Protonotarius Apostolicus, Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex Ordinarius, a Sanctissimo Domino Nostro Papa specialiter electus, & deputatus.

Ad Tit. de Majorit. & Obedientia.

UNiversi, & singuli hoc præsens publicum sententiæ Instrumentum visuri, lecturi, legique pariter audituri, noverint, quòd vertente lite, & causa coram Nobis inter Reverendissimam Curiam Episcopalem Triventinam, ejusque Rev. Dominum Promotorem Fiscalem, & litis, &c. ex una, & Universitatem Civitatis Anglonæ, aliasque Universitates Diœcesis Triventinæ, & litis, &c. ex altera partibus; tandem die infrascripta Nos visis, videndis, & consideratis considerandis, nostram tulimus difinitivam sententiam teneris sequentis, videlicet. Christi nomine invocato. Pro Tribunali sedentes, & solùm Deum præ oculis haben-

tes

tes, per hanc nostram difinitivam sententiam, quam de Juris Peritorum consilio in his scriptis ferimus in causa, & causis, quæ primò, & in prima coram Nobis versæ fuerunt, & vertuntur Instantia, inter Universitatem, & homines Civitatis Anglonæ, & alias assertas Universitates aliorum locorum, & Terrarum Triventinæ Diœcesis actores ex una, & Rev. D. Promotorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Triventi reum conventum partibus ex altera, de, & super prætensa libertate contrahendi Matrimonia absque licentia Ordinarii dictæ Diœcesis, nullisque factis in eadem Curia Episcopali præviis probationibus super libero cõtrahentium statu, rebusque aliis in actis causæ, & causarum hujusmodi latiùs deductis, dicimus, decernimus, declaramus, sententiamus, & difinitivè pronuntiamus, præfatis hominibus, & assertis Universitatibus actricibus non licere dicta Matrimonia, aut inter Cives, aut inter Exteros contrahere, nec Parochis, eisdem Matrimoniis tam Civium, quàm Exterorum assistere, nisi priùs capta per dictam Curiam Episcopalem informatione, factisque in eadem Curia debitis probationibus de libero eorumdem contrahentium statu, & obtenta ab Episcopo pro tempore dictæ Diœcesis, vel ejus Vicario Generali licentia, & facultate, juxta formam præscriptam in Synodo Diœcesana, celebrata die 26. Julii 1721. per hodiernum Reverendissimũ Episcopũ Alphonsum Mariconda, & præsertim in Constitutione edita sub Titulo VIII. de Sponsalib. & Matrim. Cap. Unic. incipiente: *Quia in contrahendis Matrimoniis*: quam quidem Constitutionem, uti validè, & rectè factam, exequendam, approbandam fore, & esse in omnibus, & singulis Civitatibus, Terris, & locis dictæ Diœcesis, prout per præ-

sentes approbamus; & pro approbata haberi volumus, & mandamus, ac exequi, & observari volumus, & mandamus. Et propterea oppositiones, & objectiones per subscriptas assertas Universitates, & homines datas, propositas, & allegatas adversùs Constitutionem Synodalem dictæ Diœcesis, ut suprà editam, fuisse, & esse insubsistentes, illegitimas, & temerarias, de facto datas, & nullius roboris, & momenti, easdemque non obstitisse, neque obstare ad effectum impediendi executionem præfatæ Constitutionis Synodalis declaramus; supradictisque actoribus perpetuum silentium imponendum fore, & esse, prout imponimus, super præmissis. Victamque partem Victrici in expensis condemnamus, quarum taxationem Nobis, vel cui de Jure inposterum reservamus, & ita dicimus, decernimus, declaramus, & difinitivè sententiamus, non solùm isto, sed & omni meliori modo, &c. Ita pronuntiavi Ego Prosper Columna A. C. Quæ omnia, & singula præmissa vobis omnibus, & singulis supradictis tenore præsentium intimamus, insinuamus, significamus, deducimus, deducique volumus, & mandamus per præsentes, ne de præmissis ullo unquam tempore ignorantiam aliquam adducere possitis, seu allegare valeatis, &c. taliter, &c. In quorum fidem, &c. Datum Romæ ex Palatio Magnæ Curiæ Innocentianæ in Monte Citatorio hac die sexta Octobris, 1724.

P. COLUMNA A. C.

Salvator Paparozzius A. C. Not.

Instrument. Sentent. Lib. Mem. fol. 142.

Adest Sigillum.

VIII. OR-

VIII.

O R D O

Sedendi in Choro,& in Processionibus incedendi, a S. R. Congr. præscriptus.

habetur in Synodo Triventina posteriori anni 1686. Tit: XXII. cap: VIII. pag: 62. Legitur in Synodo Sipontina de an: 1678. in App: pag: 225.

S I P O N T I N A.

Pro parte Eminentissimi Domini Fr. Vincentii Mariæ Archiepiscopi Sipontini Cardinalis S. Sixti supplicatum fuit apud Sac. Rit. Congregationem pro declaratione infrascriptorum Dubiorum, vulgari sermone descriptorum, videlicet.

Primo. SE i Preti non Capitolari, che intervengono ne' giorni festivi nel Coro, e nelle Processioni, debbano sedere, ò camminare per via d' anzianita di Ordini; overo deve precedere quello, che si ritrova graduato in legge Canonica, ò in Teologia, quantunque sia posteriore nell'Ordine *Ad Tit. de Majoritate, & Obedientia.*

Secondo. Se lo stesso debba praticarsi ne' Diaconi, Suddiaconi, e Cherici,

Terzo. Se i Sacerdoti Cittadini Nazionali debbano haver qualche precedenza a' Diocesani, ed a quei Sacerdoti, che fanno l'incolato nella Città, quantun-

tun-

tunque questi habbiano maggior anzianità d' Ordini.

Quarto. Se nelle Chiese Ricettive della Diocesi debbano precedere quei, che si trovano ascritti secondo l' antichità dell' ascrizione, ò pure secondo l' antichità dell'Ordine.

Quinto. Se un Sacerdote non ascritto, intervenendo a quella Chiesa de gli ascritti, possa precedere per anzianità d' Ordine a quei, che sono ascritti, ma posteriori all' Ordine.

Eadem Sacra Congregatio, referente Eminentissimo Domino Card. Columna, ad supradicta Dubia respondit, ut infrà, videlicet.

Ad primum. P*Raecedentiam inter Presbyteros sumi ex antianitate Ordinis, non ex gradu Doctoratus, quia Presbyteratus Ordo longè dignior est, quàm gradus Doctoratus: sed inter plures Parochos, seu Curatos Ecclesiarum Parochialium, attenditur praerogativa Ecclesiae Parochialis, non antianitatis Ordinis.*

Ad secundum. Idem observandum, ut suprà, ex iisdem rationibus.

Ad tertium. Civitatem, & incolatum nullam majorem praerogativam tribuere.

Ad quartum. Attendendam antianitatem Ordinum, dum in Ecclesiis Adscriptivis non potest considerari aliquis honor, seu aliquis Titulus perpetuus, & realis pro adscripto:

Ad quintum. Affirmativè, ex proxima allegata ratione.

Ad

Ad ſextum. Affirmativè, cùm militet eadem ratio, & non cognoſcitur poſſe aſſignari diſparitatem rationis; & ita declaravit, & obſervari mandavit. Hac die vigeſima tertia Novembris, 1675.

G. CARDINALIS CARPINEUS.

Adeſt Sigillum.

Bernardinus Caſalius S. R. C. Secret.



[illegible] il sesto, che nel Sinodo del Torrecelli sopracitato si legge così:
Sesto. Se l'ordine della precedenza che si praticherà ne' suddetti dubbii nella Città "
debba anche intendersi nella Diocesi. "

IX. EDIT-

IX.

EDITTO

Dell' osservanza delle Feste.

Cit. nel Tit. VII. Cap. I. pag. 44.

ALFONSO MARICONDA

Della Congregazione Cassinese dell' Ordine di S. Benedetto, Patrizio Napolitano, per grazia di Dio, e della Sede Apostolica Vescovo di Trivento, alla stessa S. Sede immediatamente Suggetto, uno de' Vescovi Assistenti al Soglio Pontificio, Prelato Domestico della Santità di N. S. Benedetto PP. XIII. Consigliere a latere di Sua Maestà Cesarea e Cattolica.

Ad Tit. de Fer. & Fest. dier. observ.

QUantunque il Signore minacci incendii, ed altri gravi gastighi a' violatori delle sue Feste, facendosi sentire per bocca di Geremia: (a) *Si non audieritis me, ut sanctificetis diem Sabbati, & ne portetis onus, & ne inferatis per portas Jerusalem, succendam ignem, & non extinguetur*; nulla però di meno fatti sordi i Cristiani a sì grave minacce, con isfacciata ingratitudine hanno i giorni festivi ridotti al

(a) Cap. 17.

al par de gli altri. Gran cosa! Sei giorni della settimana ripone il Signore al nostro arbitrio, un solo egli se ne riserva: *Sex diebus*, ci comandò nella sacra Genesi, (a) *facies omnia opera tua; septimo autem die Sabbatum Domini tui est*; e pure questo sol giorno quasi voglion rubarcelo, giusta la frase di S. Gio: Crisostomo, *& hanc partem surripis, & ad seculares curas subducis.* (b)

I. Noi preposti dal Signore, benche senza alcun merito, a questa sua Chiesa di Trivento, volendo in vigor del nostro Pastoral debito rimediare ad un' abuso sì grande, e scandaloso, primieramente facciamo a tutti sentire, che l' osservanza delle Feste in genere, non solo è precetto divino, ma altresì comandato da' sagri Canoni, e Concilii Generali, ad anco dalle leggi Imperiali; laonde ogni Cristiano è tenuto all' osservanza, così delle Domeniche, come d' ogni altra Festa comandata dalla S. Chiesa, sotto precetto di peccato mortale, cominciando dalla meza notte antecedente fino alla meza notte susseguente.

II. L'osservanza delle Feste non solo consiste nel cessare da ogni opera servile, ma altresì nel santificarle coll' opere pie, e divote, e non già impiegar quel tempo con esecrando eccesso in bagordi, giuochi, ed in altre simili azioni licenziose, ed illeciti trattenimenti: Feste abbominate dal Signore, *Festivitates vestras*, si dichiara presso Isaia, (c) *odivit anima mea, factæ sunt mihi molestæ, laboravi sustinens.* Procuri ognuno dunq; ne' giorni fe-

(a) *Cap.* 20. 8.
(b) *Hom. adverf. eos, qui divin. absunt Offic.*
(c) *Cap.* 1.

festivi frequentar più spesso del solito le Chiese, ascoltar con divozione la Messa, assistere a' sermoni, ed alle funzioni Ecclesiastiche, e fuggir ogni occasione di peccato.

III. Proibiamo ne' giorni festivi ogni atto giudiziale, bēche anco da gli Augustissimi Imperadori colle loro leggi è stato vietato: il comperare e vendere, eccettuatene le robe comestibili, e necessarie al vitto quotidiano, e per gl' infermi, ed ogni altra azione servile.

IV. Essendo la legge Vangelica più soave anche quanto a gli atti esterni della Mosaica, nella quale era proibito ne' giorni di Sabato anco l' accender il fuoco, e trasportar un vaso da un luogo ad un' altro: hanno i sagri Canoni assegnate alcune cagioni, per le quali si può permettere ne' giorni festivi qualche lavoro, ed opera servile, come si è la pietà, necessità, ed utilità pubblica. Laonde quante volte vi concorrerà qualcheduna delle soprariferite cagioni, permettiamo il faticare ne' giorni festivi, precedente però la licenza nostra nella Città, de' Vicarii Foranei ne' luoghi di lor Residenza, e ne gli altri, de' Rev. Arcipreti, da' quali deve esaminarsi, se vi concorre una delle anzidette cagioni: le quali licenze si daranno *gratis*.

V. Havendo conosciuto, che le pene pecuniarie imposte da' nostri Predecessori di felice memoria contra i trasgressori delle Feste, per ragionevoli cagioni erano inutili, habbiamo stimato nelle nostre Sinodali Costituzioni più spediente esigerne l' osservanza colle pene spirituali; perciò chiunque oserà contravenire ad un tal precetto, soggiacerà all' Ecclesiastico Interdetto.

Ed affinche questo nostro Editto habbia la dovuta osservanza, incarichiamo a' RR. Parrochi il pubblicarlo due

due volte l' anno tra la ſolennità della Meſſa, cioè nella prima Domenica dopo la Pentecoſte, e nella prima Domenica dell' Avvento, ed a' Vicarii Foranei l'eſatta eſecuzione. Dato nel Conſeſſo Sinodale canonicamente ragunato nella noſtra Cattedrale a' 2. Giugno, 1727.

A. VESCOVO DI TRIVENTO.

G. C. Canonico Bologneſe
Segretario del Sinodo.

X.

EDITTO

Della Vita, ed Onestà de' Cherici.

Cit. nel Tit. IX. Cap. I. pag. 48.

ALFONSO MARICONDA

Della Congregazione Cassinese dell'Ordine di S. Benedetto, Patrizio Napolitano, per grazia di Dio, e della Sede Apostolica Vescovo di Trivento, alla stessa S. Sede immediatamente Suggetto, uno de' Vescovi Assistenti al Soglio Pontificio, Prelato Domestico della Santità di N. S. Benedetto PP. XIII. Consigliere a latere di Sua Maestà Cesarea e Cattolica.

Ad Tit. de Vita, & Honestate Clericorum.

FRa le più assidue sollecitudini, che hanno occupata la mente de' Sommi Pontefici, zelanti sul' bene spirituale della Chiesa, non è stata l'ultima quella di conservare, e ravvivare nel suo vero decoro la santità, e dignità del Sacerdozio; poiche, conforme scrisse la S. Congregazione de' Vescovi, e Regolari coll' oracolo d'Innocenzo XII. di s. m. dipendendo da gli ufficii di questa ordinazione l'istruzione, la correzione, e la santificazione de' Fedeli, conviene ancora, che l'esemplarità della vita, e la gravità de' costumi sia in esso così distinta, e superiore ad ogni altro, che corrisponda

alla

alla ſublimità del grado, ed al fine della ſua iſtituzione. Quindi è, che volendo Noi in vigor del noſtro Paſtorale debito, ed in oſſervanza de' ſagri Canoni provvedere al buon reggimento della Cheriſia di queſta noſtra Dioceſi, col preſente Editto ordiniamo, e comandiamo

1. Che l'abito Eccleſiaſtico ſia modeſto, di color nero, non già ad uſo de' Laici colle finte, ò aperture avanti, le quali affatto proibiamo, ſotto la pena della perdita della veſte, ò valore di eſſa.

2. Le veſti interiori, e di ſotto, anco ſiano modeſte, non già colorate, cioè di color roſſo, azurro, verde, giallo, color miſto, ò ſimili, ò con ornamenti d' oro, e d'argento; così ancora proibiamo le veſti ſordide, e lacere, rendendoſi ſchifoſo, con obbrobrio dello ſtato Eccleſiaſtico.

3. Contra quei, che non anderanno cõtinovamente in abito, e tonſura decente, conforme s'è detto, ſe ſaranno in *ſacris*, ò havranno benefizio, ſi procederà contro d' eſſi colle pene canoniche: gli altri ſaran dichiarati non godere il privilegio del Foro.

4. Proibiamo ancora l'uſo dell'anello in dito, ſe nõ è coſtituito in dignità, che lo richiegga, e queſti ne portino un ſolo, che devon deporlo nel tẽpo che diran Meſſa.

5. Vietiamo ad ogni Sacerdote, ſiaſi di qualſiſia dignità, quando va a celebrar Meſſa, l' abuſo del berettino, e che ſi debba laſciare in Sagreſtia, baſtando allora la ſola beretta, ſotto la pena della ſoſpenſione *Canon. Nullus Epiſcopus de conſecr. diſt.* 1. Molto maggiormente niun Cherico ſerva all' Altare col berettino in teſta, ſotto la pena di uno ſcudo: il che anche l' intendiamo, ſe talvolta qualcheduno in *ſacris*, ed anche

Sacerdote ſerviſſe a qualche Meſſa.

6. Le chiome non ſian lunghe, ma toſate in maniera, che reſti ſcoverta parte dell'orecchie. Bandiamo dal noſtro Clero affatto l'uſo delle parrucche, ſotto le pene arbitrarie. La barba ſi faccian radere ogni otto giorni, come anco la tonſura, ò ſia corona, che reſtar deve ſcoperta da' capelli.

7. Neſſuno ardiſca tener guanti nel Coro, Proceſſioni, e nel tempo de' divini Ufficii, e funzioni Eccleſiaſtiche.

8. Proibiamo a' Cherici di qualunque condizione, e ſtato eſsi ſiano, il coabitare con donne *ſub eodem tecto*, purche non ſian loro congiūte, almeno in ſecondo grado di conſanguinità, ò affinità, nè men col preteſto di tenerla per ſerva, ſenza la noſtra eſpreſſa licenza, la quale ſi darà colle dovute cautele, ſotto la pena di due meſi di carcere formale.

9. Eſſendo l'armi de' Cherici le lagrime, e l'orazione; niun Cherico ardiſca perciò portar armi di qualſivoglia ſorte, anco lo ſchioppo da caccia, *ſenza l'eſpreſſa noſtra licenza*. E per l'armi proibite anco a' Laici dalle Leggi del Regno, ne proibimo così la detenzione in caſa, come l'aſportazione, ſotto le pene Sinodali.

10. Eſſendo contra l'oneſtà de' Cherici cotanto inculcato da' ſagri Canoni non ſolo il ballare, ma altresì lo ſtar preſenti, com' anco il maſcherarſi, accompagnar maſcherati, ò impreſtar le veſti Chericali a tal uſo; pertanto lo proibiamo eſpreſſamente a' noſtri Eccleſiaſtici.

11. S'aſtengano d'andar ſonando, ò cantando per l'abitato di notte, ò di giorno, ſoli, ò accompagnati, com' anco dalla ſoverchia familiarità de' Laici, cagione, ed ori-

origine di disprezzo, e di scandalo.

12. Non vadano a taverna, ò osterie, se non per pura necessità di assenza da casa loro.

13. Fuggano i giuochi di carte, dadi, e simili: il sentir cõmedie, particolarmente profane, ed impure, e maggiormente quelle rappresentare.

14. Proibiamo a gli Ecclesiastici ogni illecita negoziazione, e mercatanzia, come indegna à persona consecrata al culto di Dio. Niun presuma comparir nelle Corti Laicali a trattar negozii, così civili, come criminali, per sè, ò per altri, senza l'espressa nostra licenza. L'esaminarsi ne' Tribunali Laicali, l'esercizio di Scrivano, ò di Notajo in cose secolaresche; ed ogni altro esercizio vile, ed indecente al grado Ecclesiastico.

15. Nessuno Ecclesiastico ardisca uscir fuora della nostra Diocesi senza la nostra espressa licenza, sotto la pena di scudi tre, purche una grave, e repentina necessità non gli dia il tempo di domandar la licenza, e quella aspettare; nel qual caso gli permettiamo l'assẽza per otto giorni, eccettuando l'accesso alle fiere. I Parrochi non istian lontani dalle loro Parrocchie più di giorni due senza nostra licenza, con dover lasciar la cura a qualche Confessore approvato.

16. Incarichiamo a gli Ecclesiastici della nostra Diocesi il doversi ogni anno ritirare in qualche casa Religiosa per lo spazio di giorni dieci, ed ivi applicarsi a far gli Esercizii Spirituali, giusta l'ordinato dalla s. m. di Clemente XI. con Lettera Enciclica della Sagra Congregazione del Concilio.

17. I Cherici in *minoribus*, ed anco i Suddiaconi, e Diaconi ogni quindici giorni si confesseranno, e comunicheranno nella Messa cantata per edificazione del po-

popolo, ordinando a' Parrochi, che debbano invigilare su l' osservanza di questo capo, e notar tutti i difetti, coll'obbligo di dover esibirci la detta nota, non solo nel tempo della Santa Visita, ma anco farcene relazione, allorche vorranno i medesimi esser promossi a gli Ordini maggiori.

18. Sia noto a tutti, che ove non vi sta espressa pena, s'intẽda a nostro arbitrio; sperando però, che non la pena temporale, ma il solo timor di Dio conterrà ciascuno a vivere da vero Ecclesiastico.

Ed affinche il presente Editto habbia la sua osservanza, ordiniamo a' Parrochi il doverlo leggere due volte l'anno, cioè ne' mesi di Giugno, e Gennajo, a tutti gli Ecclesiastici della loro Parrocchia. Dato nel Consesso Sinodale canonicamente ragunato nella nostra Cattedrale a' 2. Giugno, 1727.

A. VESCOVO DI TRIVENTO.

G. C. Canonico Bolognese
Segretario del Sinodo.

XI. EPI-

XI.

EPISTOLA

Sac. Congreg. Concilii pro Exercitiis Spiritualibus, ſingulis annis a Clero peragendis, s. m. Clementis PP. XI. juſſu a b. m. Bandino Cardinali Panciatico ejuſd. S. Congreg. Præfecto conſcripta.

Cit. Tit. IX. Cap. II. pag. 51.

Eminentiſs. & Reverendiſs. Dom. Obſervandiſs.

INter graviſſimas Paſtoralis Officii curas, quibus Ss. Dominus Noſter aſſiduè premitur, in eam præcipuo ſtudio incumbit, ut quicunque in ſortem Domini vocati ſunt, præſertim verò Sacerdotes, & animarum Rectores, tum ſacrarum literarum, divinarumque rerum ſcientia, tum etiam vitæ, morumque honeſtate cæteris antecellant, ac in omnibus, juxta monitum Apoſtoli, præbeant ſemetipſos exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate. Cùm etenim ipſi ſint Sanctiora Eccleſiæ membra, Diſpenſatores myſteriorum Dei, Chriſtiani populi Duces, & Magiſtri, Mediatores inter Deum, & homines, Lucernę ſuper candelabrum poſitæ, ut luceant omnibus, qui in domo ſunt, *Ad Tit. de Vita, & Honeſtate Clericorum.*

nihil

nihil est, quod alios magis ad pietatem, divinumque cultum accendat, quàm illorum vita, & exemplum; omnes siquidem in ipsos, tanquam in speculum, oculos conjiciunt, ut inde sumère possint, quod imitentur. Porrò cùm diuturna experientia compertum sit, ad retinendam, conservandamque Sacerdotalis Ordinis dignitatem & sanctimoniam maximè conducere; ut Ecclesiastici viri Spiritualibus Exercitiis aliquando vacent, quibus quidquid sordium de mūdano pulvere contractum est, commodè detergitur, Ecclesiasticus spiritus reparatur, mentis acies ad divinarum rerum contemplationem extollitur, rectè sanctèque vivendi norma vel instituitur, vel confirmatur; proinde Sanctitas Sua pro eximio, quo flagrat, omnium salutis zelo, vehementer exoptans, ut pium hoc, & saluberrimum Exercitiorum Spiritualium opus ubique locorum magnopere frequentetur, ac vigeat, universos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, cæterosque tum Italiæ, tum etiam Insularum adjacentium Ordinarios enixè admonet, ac in Domino hortatur, ut illud in sua quisque Diœcesi, quo majori poterunt conatu, & studio, promovere satagant; præcipuè verò iis districtè injungit, ac præcipit, ut quæ dudum sanctæ memoriæ Innocentius XI. Pontif. Max. per Encyclicam Epistolam a Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium Consultationibus præposita ad universos Italiæ, Insularumque adjacentium Episcopos datam die 9. Octobris, 1682. quoad hujusmodi Spiritualia Exercitia a singulis Clericis decem dierum spatio, antequam ad sacros Ordines assumantur, peragenda mandavit, exactè, ac inviolabiliter observari, & exequi curent; & quos iisdem Exercitiis per antedicti temporis spatium minimè ope-

ram

ram dedisse cognoverint, a sacra Ordinatione repellant penitus, & arceant. Præterea Sanctitas Sua eosdem Ordinarios admonet, & hortatur, ut fructu, qui sanè uberrimus ex prædictis Spiritualibus Exercitiis percipitur, opportunè proposito ac explicato, universos ex Clero sibi subjecto, sed præcipuè animarum Rectores, Confessarios, Canonicos, aliosque Beneficiatos Chori servitio adstrictos, diligenter excitent ad eadem Exercitia, saltèm semel in anno peragenda in domibus Religiosorum Societatis Jesu, seu Presbyterorum Congregationis Missionis, si adsint, sin minùs, in alia pia, seu Regulari domo, ab ipsis Ordinariis ad id designanda, & approbanda. Ut autem alacriùs ad ejusmodi Spiritualem secessum singuli conveniant, Sanctitas Sua omnibus præfatis animarum Rectoribus, Confessariis, Canonicis, Beneficiatis, aliisque Sacerdotibus, & Clericis, qui per decem dies singulis annis eadem Exercitia peregerint in domibus præfatis, ibique diù, noctuque permanserint, ac interea temporis verè pœnitentes, & confessi sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, quoties id egerint, plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino elargitur. Parochos insuper per idem tempus semel tantùm in anno Exercitiis hujusmodi vacantes a residentia benignè absolvit. Quod ipsum servari præcipit quoad Canonicos, Beneficiatos, aliosque personali residentia obstrictos, & Chori servitio mancipatos, quos nihilominus lucrari decernit integros fructus, & quotidianas suorum respectivè Canonicatuum, & Beneficiorum distributiones quascunque, perinde ac si Choro, divinisque Officiis personaliter interessent, dummodo tamen eadem Exercitia peragant, obtenta

priùs ab Ordinario licentia, a quo nullatenus concedenda erit Adventus, & Quadragesimæ tempore, ac in solemnioribus festivitatibus, nec unquam omnibus simul Canonicis, aliisque Choro inservientibus, sed eo adhibito modo, ut Chori servitium nequaquam intermittatur; & quoad Parochos, idoneis priùs subrogatis Œconomis ab ipsomet Ordinario approbandis, qui animarum curam laudabiliter administrent. Mandat insuper Sanctitas Sua, ut hæ literæ publicentur in ista Diœcesi, & in Cancellariæ regestis, pro perenni eorum, quæ in illis continentur, observantia, describantur, & ad hunc ipsum finem quolibet triennio earum publicatio in posterum renovetur.

Quæ omnia ita diligenter ab E. V. vigili providentia, ac Pastorali solicitudine præstanda fore confidit Ss. Pater, ut a Sanctitate Sua laudem, a cœlesti verò bonorum operum retributore condigna præmia valeat promereri. Et E. V. manus humillimè deosculor.

Datum Romæ die 1. Februarii, 1710.

Emin. Vestræ

Humill. & Addictiss. Servitor
B. Cardinalis Panciaticus Præfectus.

V. Petra Sac. Congr. Conc. Sec.



XII. ME-

XII.

METODO

Da tenersi nelle Congregazioni de' Sagri Riti, e de' Casi Morali.

Cit. nel Tit. IX. Cap. III. pag. 52.

ALFONSO MARICONDA

Della Congregazione Cassinese dell' Ordine di S. Benedetto, Patrizio Napolitano, per grazia di Dio, e della Sede Apostolica Vescovo di Trivento, alla stessa S.Sede immediatamente Suggetto, uno de' Vescovi Assistenti al Soglio Pontificio, Prelato Domestico della Santità di N. S. Benedetto PP. XIII. Consigliere a latere di Sua Maestà Cesarea e Cattolica.

Dovendosi frequentare le Congregazioni de'Casi, e de'Riti, tanto inculcate, si propone l'infrascritto Metodo, inviolabilmente da osservarsi. *Ad Tit. de Vita, & Honestate Clericorum.*

1. Una volta la settimana, ne' luoghi stabiliti per lo comune comodo, si farà la Congregazione de' Casi, e de' Riti. Vi sarà un Prefetto, che presederà col suo Segretario, coll' ufficio, come appresso. Mez' hora prima di essa Congregazione il Segretario farà sonare alla distesa per un mezo quarto d' hora la campana del-

la Chiesa, ove farassi la Congregazione.

2. Congregati che saranno tutti nel luogo determinato, si darà principio alla Conferenza, e'l Prefetto comincerà l' Inno: *Veni Creator Spiritus*, dopo il quale egli stesso soggiugnerà l'Orazione dello Spirito Santo, della Beata Vergine, e l' altra *Actiones nostras, &c.* nel qual tempo tutti staranno inginocchiati.

3. Finita l'Orazione si porrà ciascuno a sedere con ordine, la metà per parte, ed in mezo, in faccia al Clero, sederà il Prefetto, il quale terrà avanti di sè un tavolino con quei libri, che stimerà necessarii, come anche l' orologio da polvere, per misurare il tempo, che dovrà durare la Congregazione, e sarà d' un' hora.

4. Da un lato del medesimo tavolino sederà il Segretario, che dovrà tenere presso di sè il ruolo di tutti gli Ecclesiastici, che intervengono, con carta, penna, calamajo, e libro, da somministrarsi da' Procuratori di ciascun Clero rispettivamente, ed in esso libro dovransi registrare i Casi discussi colle loro Decisioni.

5. Posti tutti a sedere, il Prefetto per un quarto d' hora leggerà qualche libro, attenente allo stato Ecclesiastico. Terminata questa lezione, si passerà dal Prefetto de'Casi alla discussione del Caso Morale, e del Caso di Rito, sopra de' quali Casi discorreranno almeno due, da cavarsi a sorte da una bussola; ove saranno in tante cartelline i nomi di coloro, che dovranno rispondere; avvertẽdosi, che tale discussione segua con sodezza di dottrina, con brevità, e senza strepito di parole.

6. Nel rimanente del tempo, per terminare l'hora, si farà l' Orazione, leggendosi almeno qualche libro, che tratti di meditazioni sagre, dal Prefetto della Cõgregazione: e terminata la Meditazione, si dirà qual-

che

che breve Orazione vocale, come *Agimus, &c. Confirma hoc Deus, &c.* e poi si diranno le Litanie della Beata Vergine colla sua Orazione in fine.

7. Fatti questi esercizii, s'intimerà la Congregazione futura; leggendosi a tal'effetto dal Segretario il foglio, che gli darà il Prefetto, ove saranno prescritti i due Casi sopradetti, il qual foglio dovrà affigersi in luogo patente della Sagrestia, acciocche da tutti sia veduto, e ciascuno possa prepararsi con lo studio alla risoluzione.

8. L'ufficio poi del Segretario sarà, finita che sia la Conferenza, di registrarla compendiosamente nel libro accennato, notando il giorno, ed il luogo, ove fu tenuta, co'nomi di tutti gli Ecclesiastici ivi ragunati, ò per far breve, con notarvi i soli assenti, acciocche siano corretti. Indi registrerà i Casi, ed i nomi di coloro, che li discussero; e dipoi trascriverà la Decisione fattasi.

9. Finito tutto ciò, lo stesso Segretario farà nota da lui sottoscritta, ed ivi noterà i nomi de'mancanti senza legittimo impedimēto, il quale deve sempre approvarsi dal Prefetto della Congregazione, e la consegnerà al Vicario, ò Arciprete, ò Parroco del luogo, ad effetto che n' habbiano la notizia per loro guida, ne' casi che havran bisogno i mancanti di qualche attestato, e per procedere alla pena stabilita.

10. E perche nel Segretario somma fede si ricerca, dovendosi al di lui libro darsi piena credenza, egli dovrà giurare sopra il santo Euangelo in mano de Vicarii de' luoghi, ed in mancanza di questi, in mano del Parroco, d'amministrare fedelmente il suo ufficio; e l'atto di tal giuramento dovrà registrarsi in detto libro.

11. Questo libro dovrà visitarsi ogni anno: e da quando in quando v'interverrà anche il Vicario Generale, ò Vi-

ò Vicarii Foranei de'luoghi, per osservarne il profitto, ed affinche col loro pratico esempio si muovano gli svogliati alla frequenza.

Dato nel Consesso Sinodale canonicamente ragunato nella nostra Cattedrale a' 2.Giugno, 1727.

A. VESCOVO DI TRIVENTO.

G. C. Canonico Bolognese
Segretario del Sinodo.

XIII. ITI-

XIII.

ITINERARIO

Della Santa Visita, da compiersi ogni due anni per tutte le Città, e Terre della Diocesi di Trivento.

Cit. nel Tit. XIV. Cap. Unic. pag. 66.

Ad Tit. de Parochiis.

TABELLA I.

De' luoghi da visitarsi nel primo anno.

1 *Trivento*
2 *Roccavivara*
3 *Montefalcone*
4 *Celenza*
5 *S. Giovanni li Piuni*
6 *Torrebruna*
7 *Guardiabruna*
8 *Castelguidone*
9 *Schiavi*
10 *Salcito*
11 *S. Biase*
12 *Frosolone*
13 *Molisi*
14 *Casali Ciprani*
15 *Roccaspromonte*
16 *Castropignano*
17 *Torella*
18 *Fossaceca*
19 *Pietracupa*
20 *Civitavecchia*
21 *Bagnoli superiore*
22 *Bagnoli inferiore*
23 *Civitanova*
24 *Chiauci*

TABELLA II.

De' luoghi da visitarsi nel secondo anno.

1 *Agnone*

2 Ca-

2 *Capracotta*
3 *Castel del Giudice*
4 *S. Angelo del Pesco*
5 *Pescopennataro*
6 *Borrello*
7 *Rosello*
8 *Giuliopoli*
9 *Rojo*
10 *Castiglione del Principe*
11 *Belmonte*
12 *Caccavone*
13 *Castelluccio in Verrino*
14 *Pietrabbondante*
15 *Castel di Sangro superiore*
16 *Castel di Sangro inferiore*
17 *Alfedena*
18 *Montenero*
19 *Rionero*
20 *Vastogirardo*
21 *Castiglione de' Carovilli*
22 *Carovilli*
23 *Pescolanciano.*



XIV. EDIT-

XIV.

EDITTO

Per le Monache Clauſtrali della Città, e Dioceſi di Trivento.

Cit. nel Tit. XV. Cap. I. pag. 69.

ALFONSO MARICONDA

Della Congregazione Caſſineſe dell'Ordine di S. Benedetto, Patrizio Napolitano, per grazia di Dio, e della Sede Apoſtolica Veſcovo di Trivento, alla ſteſſa S. Sede immediatamente Suggetto, uno de' Veſcovi Aſſiſtenti al Soglio Pontificio, Prelato Domeſtico della Santità di N. S. Benedetto PP. XIII. Conſigliere a latere di Sua Maeſtà Ceſarea e Cattolica.

COnſiderando Noi i tre Moniſteri di Monache, uno in queſta noſtra Reſidenza di Trivento, l' altro nella Città di Agnone, e'l terzo nella Terra del Roſello, come tanti orti del Signore, cuſtoditi per le delizie del celeſte Spoſo; affinche le ſagrate Vergini ſiano ſante di corpo, e di ſpirito, con ogni maggior ſollecitudine, per tenerle lontane dall' infeſtazione del demonio, preſcriviamo i ſeguenti ordini. *Ad Tit. de Regularib.*

Aa 1. Che

1. Che nessuno ardisca entrare ne' Parlatorii delle Monache, per parlare con esso loro, sotto pena di Scomunica, senza espressa nostra licenza *in scriptis*, eccettuati solamente i parenti in primo, e secondo grado per due volte il mese; dovendosi registrare ò dal Vicario Foraneo, ò dal Confessore di dette Monache, ogni qual volta i detti congiunti vanno a parlar loro, acciocche non accada abuso, ò abbaglio. Incarichiamo inoltre a' detti Confessori, e Vicarii Foranei, ch'habbiano l' accortezza, che i detti congiunti non siano insieme nella stess' hora a parlare, acciocche si eviti l'occasione, che l' uno parli colla congiuntura de gli altri; ci dichiariamo però, che quanto a gli altri, se si concedesse la detta espressa licenza, non habbia luogo nel tempo del silenzio, quando s' assiste a' divini Ufficii nel Coro, della Quaresima, dell' Avvento del Signore, ne' giorni di digiuno e di Comunione.

2. Datasi la licenza di parlare, non s'intenda mai data a porte aperte, ò avanti le porte della Clausura, ò nelle Ruote, e solamente si parli con quella Religiosa, per cui fu conceduta la detta licenza, e non con altre, che forse si troveranno in compagnia, sotto la stessa pena, e s'intenda la detta licenza di parlare alle sole Grate.

3. Nessun Sacerdote secolare, ò Regolare ardisca celebrar Messa, ò Ufficii divini nelle Chiese de' Monisteri suddetti, senza nostra espressa licenza in questo di Trivento, e ne gli altri, senza la licenza del Confessore, quando vi mancasse la solita Messa in dette loro Chiese.

4. Predicandosi in tempo di Quaresima, ò di Avvento alle Monache, ò in tempo de gli Esercizii, le porte

delle

delle Chiese siano chiuse, e siano esclusi dall' entrata tanto i laici dell' uno, e dell' altro sesso, quanto gli Ecclesiastici secolari, e Regolari.

5. La finestrella addetta per la distribuzione della Ss. Eucaristia non serva ad altro uso, che del suddetto, e per altre sagre funzioni, solite ivi a farsi, non mai per comodo di parlarvi, ò per sentire le Confessioni, sotto pena di Scomunica.

6. Che nessuno possa entrare nella Clausura, se non per cagione necessaria, e colla nostra licenza, intendendo spezialmente per gli artisti, ed altri, che devono entrarvi per altri bisogni, come anche de' Medici, e Cerusici, a' quali si dovrà rinovare, se si stimerà spediente, la licenza ogni tremesi, e nè questi possono entrare, se non accompagnati dalle Accompagnatrici, le quali devono sonare il campanello, per dar il segno alle Monache di ritirarsi; proibendo a questi il mangiar dentro la Clausura, nè divertirsi ad altre cose, nè in altri luoghi, se non dove hanno da esercitare il loro mestiere.

7. Che le Monache debbano vestire modestamente, e con semplicità Religiosa, come anche l'Educande non possan vestire, se non abiti modesti, e di color fosco.

Ed acciocche il presente Editto habbia la sua osservanza, ordiniamo, che la copia del medesimo tengasi affissa nelle porte del Rifettorio, leggendosi prima a tutte le Religiose, ed un' altra copia conservisi dalla Superiora *pro tempore*, per doversi leggere ogni prima Domenica del mese la mattina in detto Rifettorio. Dato nel Consesso Sinodale canonicamente ragunato nella nostra Cattedrale a' 2. Giugno, 1727.

A. VESCOVO DI TRIVENTO.

G. C. Can. Bolognese Segr. del Sinodo.

XV.

CATALOGO

Delle Chiese, e de gli Altari consegrati dall' Illustriss. e Reverendiss. Monsig. Vescovo Mariconda, fino alla celebrazione del presente Sinodo, presentemente esistenti nella Città, e Diocesi, colle notizie per la di loro manutenzione, giusta gli Strumenti, che si conservano nell'Archivio Vescovile.

